FIRPO
147
BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO



Ex libris
LUIGI FIRPO
.1. 6. 7.

SILVII ANTONIANI
S. R. E. CARDINALIS
VITA

A IOSEPHO CASTALIONE I. V. D.

CONSCRIPTA:

Eiuſdem Siluij Orationes XIII.

AD ILLVSTR.MVM ET REVER.MVM D. D.

PETRVM CARD. ALDOBRANDINVM

S. R. E. CAMERARIVM.



ROMAE, Apud Iacobum Maſcardum. M. DC. X.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur R.mo P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſg.

EX commiſſione R.mi P. F. Ludouici Yſtella Valentini S.P.A.M. Ego Nicolaus Caſſianus vidi Vitam cum omnibus quæ ſequuntur Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Siluij Cardinalis Antoniani editam ab Eccellenti D. Ioſepho Caſtalione, qui quidem Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus D. vt apparet ex toto diſcurſu, ac teſtimonio plurimorum ſpectatæ fidei piorum, & inſignium virorum, qui cum eo familiariter verſati fuere ab ineunte ætate, & quia nullũ fere tempus quiete, & otioſe traduxit, admodum etiam in vtilitatem Apoſtolicæ Sedis laborando, tum publice profitendo, tum orando, tum pie excolendo, decet vt quemadmodum in vita celebratus fuit ob ſuas ingentes virtutes, ita etiam poſt mortem laus eius perſeueret & viuat, ad exemplum ac documentum bonorum, & incitamentum ad virtutem, & vt vitæ religioſiſsime actæ, mors quoque conſentanea foret, monumentum ſibi fieri & cappellã ornari in templo S. M. in Vallicella viuens curauit, vbi conditus in pace requieſcit. Quam prædictam eius virtuoſam vitam cum omnibus eius Orationibus, ac teſtimonijs imprimi poſſe cenſeo, & me ſubſcripſi hac die 23. Decembris 1609.

Idem qui ſupra Nicolaus.

Imprimatur.

Fr. Thomas Pallauicinus Bononienſis Magiſter, & Reuerendiſsimi P. F. Ludouici Yſtella Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri Socius, Ordinis Prædicatorum.

BIBLIOTECA NAZIONALE

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO D. D. PETRO ALDOBRANDINO CARDINALI S. R. E. CAMERARIO.

IOSEPHVS CASTALIO S. P. D.

CÆSARIS Cardinalis Baronij morte quantum præſidij, atque ornamenti Eccleſia nuper amiſerit, dolẽdo nunc experimur, & deſiderando in dies magis, ac magis intelligemus. Vtrũque in Siluio Cardinale Antoniano quattuor ab hinc annis erepto ſentitur. Nam quorum vita Reſpublica maxime vtebatur, eorum mortem ſibi acerbam eſſe exiſtimet neceſſe eſt. Illud ſolatio fuerit, ſi, quæ piè, caſtè, innocenterq. geſſerunt, ea litterarum monumentis mandentur, vt ceteri tantis ad virtutem exemplis excitentur. De Baronio alias, & fortaſſe alij præoccupauerint. Ad Antoniani vitam ipſe

cum mea ſponte, tum familiarium eius hominum gratiſſimorum admonitu cōſcribendam animum appuli, is enim ab ineunte ætate liberalibus artibus informatus, ad ſapientiam aſpirauit, & per omnes Eccleſiaſtici Ordinis gradus, ad Sacerdotium iouenilibus annis peruenit. In incerto fuit vtrum ingenio, an eruditione magis valeret. Siquidem tanta in ſcribendo, loquendoq; ſententiarum, verborumq. copia celerrimè vtebatur, vt ſingulari naturæ beneficio eam facultatem adeptus eſſe videretur. Tanta rurſus è media Philoſophia, Theologiaque, & diuini, humaniq. iuris cognitione afferebat, vt nihil non ſummo ſtudio eum aſſecutum eſſe fateremur. Quare ſic ſtatuendum, ſummas in illo fuiſſe ingenij vires, ſummamq. doctrinam aſſidui ſtudij, exercitationisq. vehementioris labore comparatam. Illud etiam in dubium reuocatum eſt, doctior ne, an melior fuerit. Sunt qui Cardinalem Antonianum verè ſapientem fuiſſe arbitrentur. Id cum aiunt, rerum etiam peritum, virtutibus prædìtum, & Dei metu munitum confirmant. In omni quidem officiorum, & virtutum genere perfectum fuiſſe Antonianum indicat conſuetudo perfectiſſimorum Cardinalium, quibuſcum familiaritas ei ſumma intercesſit. Quoniam verò ad immortalem CLEMENTIS gloriã, qui tantum lumen in edito Eccleſiæ loco ſtatuit, Cardinalis Antoniani decus referendũ eſt, & Patrui Tui laus ad Te pertinet, Opuſculum hoc meũ Tuo inſcriptum nomini in hominum manus venire volui. Ali-

ter

ter ne facerem, vetus etiam mea in Te pietas, & obſeruantia me admonebat. Huc accedunt Tua in me beneficia, quibus deuinctus, memoris, gratiq. animi argumenta cum facultas datur, exhibere teneor. Præterea cum eſſet omnino patronus deligendus, cuius auctoritas apud omnes ampliſsima opus meum tueretur, eundum ad Te fuit, cuius nomen apud Dynaſtas, Nationes, potentiſsimosq. Reges, & domi togati, & foris armati maximi ſemper ponderis fuerit. Denique non iniucunda tibi fore ſperaui, quę de Antoniani humanitate, abſtinentia, & pietate recenſuiſſem, qui neque ab ijs vnquam alienus extiteris, & nunc in Rauennate Eccleſia tanta virtutum exempla quotidie edere perhiberis, vt cum vetuſtiſsimis, & ſanctiſsimis Archiepiſcopis vigilantia, facilitate, religione, prudentia, & caritate certare videaris. Quamobrem Te oro, vt meum hoc qualecunque officium ne aſpernere, meq. vt ſemper pro Tua benignitate feciſti, & libellum meum tueare. Hæc cum ſcripſiſſem tribus abhinc annis nondum matura libelli editione, ea penes me deliteſcere ſum paſſus, quod in dies acceſsio fieret multarum rerum ad meam ſcriptionem pertinentium, quæ me fugerant. Nonnulla enim ex Antoniani ſcriptis, quæ apud eximium virum Albinium Attium Tudertinum, Amplitudini Tuę addictiſsimum ſororis Antoniani Cardinalis Generum extant, collegi, quæ vel ad confirmanda, quæ in medium protuleram, vel ad apponenda, quæ mihi minime erant nota, ſummo fue-

runt adiumento. In his orationes aliquot luculentiſſimæ ſunt, quas Siluius Antonianus aut pene puer Ferrariæ, aut iuuenis Romæ habuerat, ex quibus orationibus ingenium, ſtudium, mores adoleſcentis, & artes, quibus Principum gratiam occupauerat, facile percipi poſſunt. Eas igitur quoque vno volumine cõpræhenſas in lucem prodire ſub Tui nominis ſplendore non alienum eſſe cenſui. Reliqua eiuſdem opera, quæ multa, & grauiſsima ſunt, propediem edentur, de Succeſsione ſcilicet Apoſtolica, de cõſcribenda Põtificali hiſtoria, de Primatu Petri, quæ ad dignitatem, auctoritatemq. Eccleſiæ aſſerendam, & à calumnijs aduerſariorum vindicandam maximũ pondus habere videntur. Sequentur etiã Homiliæ complures, & explicationes, cenſuræq. variæ, necnon lucubrationes adoleſcentis Antoniani in Ariſtotelis Rhetoricam, & Ciceronis orationes aliquot, quas propter ſingularem eruditionem perire nefas eſſe ſtatuo. Multa item varijs de rebus ſubtiliter, doctеq. ab eo ſcripta ſilentio prętereo, ne longior ſit Epiſtola. Ad hunc guſtum vniuerſa fore Tibi recipio. De Breuibus autem Apoſtolicis ab eo ſcriptis nihil polliceri poſſum. Hoc vnum ſcio, ab omnibus illa propter ſtili Eccleſiaſtici elegantiam, grauitatemq. expeti. Quæ ſi Te adnitente publicari poterunt, vel vniuerſa, vel nonnulla, quæ in omnium manus venire non ſit nefas, omnes harum rerum ſtudioſos Tibi deuinxeris. Vale. Kal. Septemb. M. DCVII.

QVAE

QVÆ HOC VOLVMINE continentur, hæc ſunt.

Siluij Antoniani Cardinalis vita.

Nomina eorum ex quorum commentariolis, Epiſtolis, libris, & ſermonibus vita Cardinalis Antoniani concinnata eſt.

Doctiſſimorum virorum teſtimonia, & iudicia de Siluio Antoniano adoleſcente.

Exemplum inſtrumenti, quo Matthæus Antonianus Siluij Pater Procuratorem ad locandum prædia, exigendum, & liberandum conſtituit.

Exemplum Diplomatis Illuſtriſſ. D. Iacobi Cardinalis Sabelli Papæ Vicarij, quo per quattuor nobiliſſimos Ciues Romanos examinatos Siluium Antonianum pudiciſſimis parentibus legitimo matrimonio iunctis ortum eſſe perhibetur.

Exemplum Motus proprij Papæ Pij Quarti, quo Siluius Antonianus annum agens vigeſimum quintum, Camillo Peruſco Rectori Gymnaſij Romani Coadiutor cum ſpe ſucceſſionis eſt datus. idem mira doctrinæ, & probitatis prædicatione ornatur.

Orationes Siluij Cardinalis Antoniani Ferrariæ Romæq. habitæ.

Oratio quam Ferrariæ habuit pene puer Horatij Odas interpretaturus. Oratio I.

Cum aperiretur Gymnaſium in feſto Sancti Lucæ Ferrariæ. Or.II.

De laudibus eloquentiæ cum Milonianam aggrederetur Ferrariæ. Or.III.

In funere Henrici Valeſij Galliarum Regis Ferrariæ habita. Or.IV.

De cognitionis, & eloquentiæ laudibus in Romano Gymnaſio ad Cardinales qui frequentes aduenerant. Ex hac Oratione, & ex

prima Siluium Antonianum Roma Ferrariam ab Duce Herculē perductum; & mortuo Hercule Romam reuerſum a Pio Quarto Pont. Max. in Aulam Principalem receptum, & Cardinali Borromæo ab Epiſtolis latinis datum, & in Gymnaſio Romano humaniorum litterarum profeſſorem conſtitutum cognoſcimus. Orat. V.

Præfatio ad Rhetoricam Ariſtotelis. Or. VI.

In diem feſtum Sancti Stephani. Or. VII.

In obitu Imperatoris Ferdinandi. Or. VIII.

In fœdere Heluetiorum. Or. IX.

In die feſto omnium Sanctorum. Or. X.

In die Pentecoſtes. Or. XI.

In exequijs Pij Quarti Pont. Max. Or. XII.

De Nauali Victoria ad Sinum Corinthiacum contra Turcas ad Pium Quintum Papam & S. R. E. Cardinales. Or. XIII.

Index rerum in vita Cardinalis Antoniani conſcriptarum.

SILVII ANTONIANI CARDINALIS VITA:

A Ioſepho Caſtalione I. C. conſcripta.

VIRTVTI nominis nouitatem non officere, in ciuitate præſertim omnium parente, immo magna induſtriæ, innocentiæ, & pietati pręmia patere, vt vetuſta ab Vrbis exordio exẽpla omittam, Siluij Antoniani proſapia, educatio, ingenium, mores, litterarum ſtudium, & honores argumento eſſe poſſunt. Is enim nullis quidem maiorum titulis, commendatus, ſed præclaris animi bonis aditum ſibi ad Cardinalatum Deo volente, atque adeo perducente patefecit. Qua in re diuinam ſuſpicere prouidentiam ſoleo, quod plerunq. nouos homines, per bonas artes enitentes excitet, Regibusq. exæquet. Contra vero ſuperbos ſummo loco natos per ignauiam, & luxuriam deſides, degeneresq. ex alto rerum faſtigio deturbet. Hæc ſilentio præterire potuiſſem, ſi laudationem Siluij, non vitam conſcribendam ſuſcepiſſem. Ad normam enim hiſtoriæ ſcriptionis meæ ſtylum neceſſario dirigendum mihi eſſe ſtatui. Nihil igitur me diſſimulare, quod minus illuſtre videatur, nihil comminiſci exornandi hominis gratia ſuſcepti muneris fides patietur; nihil denique narrabo, quod

petitum non ſit ex commentariolis eorum, quorum nomina in fine operis deſcripta ſunt. Equidem cum mea ſponte, tum hortatu, ac prope conuicio nonnullorum hominum, quibus familiariſſime Siluius vſus fuerat, negotium ſuſcepi. Cum Siluio mihi familiaritas vetus propter litterarum commune ſtudium interceſſerat. Is mihi apud Clementem Octauum Pontificem Maximum adfuit. Omnium ingratiſſimus ſim, niſi erga patronum optime de me meritum officio, & pietate amicis ſatisfecero. Equidem operi manum non admouiſſem, ſi Auguſtinus Valerius Cardinalis Veronæ, doctrina & ſanctimonia clariſſimus Siluij Antoniani, quem maximi ſemper fecerat, quemq. ſanctum appellabat, vitam, vt conſtituerat, conſcripſiſſet; Mors, non ſenectus ſumma, eius conſilium diſcuſſit, quod Octauius Mancinus Valerio a ſecretis teſtatur. Sed rem aggredior.

Oppidum eſt in Aprutinis figulinæ opificio, & mercatura celebre, in edito ſitum colle, ædium conſtructione ornatum, agri vbertate, rerumq. omnium copia valde affluens. Oppido nomen Caſtelli, diœceſis Pennenſis. Ex hoc loco profectus Matthæus Antonianus, qui ſtudio viſendi, ſalutandiq. Apoſtolorum, Martyrumq. Confeſſiones, & ſacroſanctas reliquias venerabundus Romam ſe contulerat, Vrbis omnium auguſtiſſimæ maieſtate captus, domicilium in ea, & fortunarum ſuarum ſedem collocauit, procuratorem quæ ad locandum bona, & poſſeſſiones paternas Bartholomæum Dominici filiũ de Bibilaqua per acta Felicis de Romaulis anno 1536. diei 19. Martij Romæ conſtituit, coemendiſq. lanis, panniſq. per operas conficiendis rem augere diu ſtuduit. Quod artificij genus in nonnullis Italiæ Ciuitatibus, ijſque celeberrimis præcipuum, honeſtumq. habetur. Eodem aliquos ante annos ex Oppido Genazano Præneſtinæ Diœceſis, & Columnenſium Regulorum ditionis lauto, & opulento, Marſilia Pappantia Romana Siluij Auia materna, Antonio Colello viro præmortuo, conceſſerat, ſecumq. vidua filias prope infantes, Tarquiniã, & Pacem adduxerat, quas pie, pudiceq. ad pubertatẽ educauit. Primarijs feminis Romanis, quarum in vicinia infra cliuum Capitolinum ad ſancti Ioannis de Mercatello templum diutiſſime degerat, caſtitate, parſimonia, & manſuetudine ſatis ſpectata, & ſupra quam dici poteſt, iucunda extitit. Iam vero poſt Tarquiniæ nuptias de colloca

canda altera filia, vt pan erat, ſollicita, ſacerdotem confeſſarium in primis religioſum, & prudentem ſæpe conſuluit, & per eum quaſi coniugij pararium Matthæo Antoniano viro probo, & Deum timenti in matrimonium virginem filiam quartum decimum annum agentem, quę domui ſuæ præeſſe optime ſciret, ſponſalibus, & dotalibus inſtrumentis de more celebratis, collocauit. Nuptijs interfuit matrona lectiſſima Hortenſia de Aſtallis Marci Frangepanij viri nobiliſſimi vxor, qua cum apud eius parentes educata Pax ipſa fuerat. Noua nupta ſimul atque in viri manum conuenit, quidquid ſolertiæ, artificijq. muliebris apud matrem didicerat, miro ſtudio exhibuit, & exprompſit. Ambo coniuges pari hilaritate, mutuo amore, ſine iurgijs, altercationibus, & querelis vitam agebant. Mulier paucis poſt menſibus vtero ſe gerere intellexit, & per quietem accepit breui fore, vt ſingulari puerum ingenio, & pietate pareret, qui parentibus ſolatio, propinquis, neceſſarijsq. adiumento, & ornamento, ceteris miraculo, & exemplo eſſet futurus. Ea vero bonæ ſpei plena extremo menſis Decembris, & anni MDXL. die hora noctis prope ſeptima Romæ in regione Pineæ, & Parochia ſanctæ Luciæ ad Tabernas obſcuras, puerum enixa mater eſt facta. Puerperio nobilis femina Hortenſia de Aſtallis operam dedit. Infanti per baptiſmi ſolemnia Siluio nomen inditum. Parentes voti compotes gratias bonorum largitori Deo quam maximas agere, inuicem gratulari, & in meliorem ſpem excitati filio alendo, educandoq. operam nauare, nihil omittere, quod ad optimam inſtitutionem pertineret. Hinc factum eſt, vt puer cum genitricis lacte parentum pietatem exſugeret, diuinas precationes ediſceret, ſeq. a teneris ad virtutem componeret. In ludum autē ſimulatque perductus eſt, incomparabilis ingenij non obſcurum indicium prębuit. Incredibili enim celeritate litterarum elementa, & quidquid doceretur, quam faciliime memoriæ mandabat, & ſupra ætatis captum in dies proficiebat, æquales anteibat, grandioribus natu, quique in grammaticis ceteros anteceſſiſſet, vehementer inſtabat, iisq. prętcritis, & tarditatis nota facile apud parentes acerbiores harū rerum exactores inſimulatis ſecum ipſe certabat. In contubernio docti, & religioſiſſimi viri Timothei Fabij Britonorienſis diſcendi gratia aliquandiu fuit, mercedem, & alimenta ſuppeditante optimo, & liberaliſſimo Othone Trucſeſio Cardinale

Auguſtæ, qui puerum ad litterarum ſtudia natum fouendum ſibi ſumpſerat. Contubernales, condiſcipuloſq. illuſtres complures habuit, & qui prædeceſſerunt, & quos ſuperſtites reliquit: in ijs Scipionem Aleandrum Cardinalis Brundufini fratrem, & Petrum Paulum Ennium ſpectatæ fidei, & prudentiæ virum, quo familiariſſime ſemper eſt vſus. Litteras Latinas pariter, & Græcas auidiſſime deuorauit. Poeſim ſummopere coluit. Ciceroni puero, qui ſummos vir præſtantiſſimus honores conſecutus patria conſeruata fortiter interire cum Republica, quam Triumuiris turpiter ſeruire maluit, eandem prope indolem, par ingenium, & ſtudium extitiſſe accepimus. Etruſcæ Linguæ adeo ſtudioſus, & ad poemata condenda propenſus in pueritia fuit, vt ex tempore, atque è re nata verſus elegantiſſimos, verborumq. & ſententiarum luminibus refertiſſimos profunderet, quod alij vix, aut ne vix quidem diuturna meditatione, & ſtudio aſſequi poſſent. A. Licinium Archiā Antiochia natum, Aſiam, Græciam, Italiam, Vrbem Romam eodem nomine ſibi deuinxiſſe, & attonitas reddidiſſe tradunt. Ad eam facultatem augendam, ornandamq. vſus eſt in primis Hannibalis Cari ſtudio, & conſuetudine. Muſicam quoque attigit, & liquidæ vocis beneficio alter Orpheus principum virorum aures, animoſq. vix decimum vitæ annum ingreſſus ſumpta lyra, vel teſtudine ſuauiſſime detinuit, permulſit, ad eorumq. amicitiam ſibi aditum patefecit. Vndecim quidem annos natus in ædibus ad S. Marcum Cardinale Piſano natali ſuo conuiuium Collegis præbente, vbi ſingulorum laudes octonis Italico idiomate verſibus ornate complexus ſuauiter ad lyram concinuiſſet, ab Alexandro Card. Farneſio faſciculum florum accepit, iuſſus reddere ei, qui Pontifex Maximus futurus eſſe ſibi videretur. Ioanni Angelo Mediolanenſi Cardinali Medicæo cum floribus Pontificatus Maximi vaticinium totidem verſibus attulit. Tum vero vir grauiſſimus rubore ſuffuſus, familiariter conqueſtus eſt, deridendi ſui gratia puerum ſubornatum ad ſe miſſum cum verſibus diu meditatis. Contra Farneſius periculum, inquit, de puero fac. Argumentum præbe, quod verſibus ex tempore conditis exornet. Puer datum argumentum ſtatim carminibus adeo luculentis proſecutus eſt, vt omnium oculos in ſe conuerterit. Quamobrem Chriſtophorus Madruccius Card. Tridentinus, torquem aureum in pueri collum coniecit. Medicæo

autem

tem pueri nomen, memoriaq. nunquam effluxit. maior etiam
lmirationis paucis poſt annis acceſſio eſt facta cum Ferrariã apud
erculem diuertiſſet, Siluiumq. in Ducis Aula commorantem of-
ndiſſet, carmenq. latine conditum de Imperatoris Caroli Quinti
udibus canentem audiſſet. Quare vbi Pontifex Maximo Pij
uarti nomine aſſumpto creatus eſt, Siluium conquiri, inuentumq.
ſe adduci iuſſit. Ad ſanctiſſimos pedes accedenti, familiarita-
m, habitationem in Palatio Apoſtolico, victumq. vltro præbuit.
auid à ſiluis, & paſcuis pſallendi gratia in Regiam euocatus nar-
tur. Iulius Tertius Pontifex Max. hac tanta ingenioſiſſimi pueri
ma impulſus Siluio ædes in Aula principali, alimenta, & Franci-
um Tonanum Cremonenſem educatorem, cuius fidem, ſtudium,
operam Balduinus Pontificis frater probauerat, benigniſſime at-
ibuit. antiquitatis Romanæ cognitionem voluendis, explican-
ſq. Numiſmatis Conſularibus, Imperatorijſq. ab eodem Caro ac-
pit. Hercules quoque Ferrariæ Dux ingenioſum admirator, &
bleuator, cum in Vrbem Romam Marcello ſecundo Pontifici
Maximo creato gratulatum veniſſet, Siluiumq. cuius famam præ-
ntia ſuperauerat, colloquentem, differentem, & canentem ad-
irabundus audiſſet, magnis propoſitis præmijs Ferrariam anno
oſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo quinto perduxit,
beraliſſime ſuſtentauit, & grauioribus diſciplinis inſtruendum cu-
uit. matrem quoq. & ſororem Siluij eodẽ anno ſub Autumnum
Vrbe Ferrariam euocatas viatico adiuuit, & benigne fouit. iti-
eris Comes, & domeſticus aſſecla Franciſcus Tonanus vir ſpecta-
fidei extitit. Matthæus enim pater eo tempore votiua peregri-
atione ſuſcepta Hieroſolymis aberat, neque maturius, quàm poſt
x annos in Italiam redijt, quod nauigatione longinqua, tempe-
atibus aduerſis diu agitatus, morbis, varijſq. caſibus implicitus eſ-
t, dum Ieſu Chriſti Sepulcrum, Præſepe, & quæcunque loca ſan-
a in Paleſtina, Iudæa, Galilea, & Sammaria Dominus frequentaſ-
t, mira veneratione, incredibili voluptate peragraret, viſeret,
doraret. Quantũ autem ad optimam naturam, & ingenium diui-
itus tributum ſtudij, exercitationiſq. adiunxerit Siluius, quãtamq.
oud omnes ſui expectationem cõmouerit, ex Hieronymi Ruſcelli
e ratione verſus Italicos componendi libro vnico, capite ſeptimo,
libro Impreſarum, vt appellãt ad Impreſam Borromæi facile in-
telligi

telligi poteſt. Eloquentiam, & humaniores litteras Latine profitendi publicum Ferrariæ munus extra ordinem feſtis diebus ſexdecim annos natus Herculis Ducis iuſſu, ingenti auditorum frequentia, & admiratione obiuit. Venetias in comitatu Hyppoliti Cardinalis Ferrariæ, qui Reginæ Poloniæ in Italiam venięti obuiam proceſſerat, profectus, miraculo Principibus, Reginæ, & doctiſſimo cuique fuit. Florentiam quoque cum Alfonſo Eſtenſe conceſſit, vbi à magnanimo Duce Coſmo Medicæo ad tanti miraculi ſtuporem effuſo, ampliſſimis muneribus eſt donatus. Admiranda Benedictus Varchius in Herculano ſuo de Siluij Antoniani adoleſcentis ingenio narrat. De eodem Ludouicus Caſteluetrius in ſuis ad Varchium Correctionibus honorificentiſſime ſcribit. Siluij adoleſcentis ſingulare iudicium, ingenium, eruditionem, & vitæ integritatem Bartholomæus Riccius, & Paulus Manutius in epiſtolis commendant. In Oratione Latina facienda B. Riccio, Io. Baptiſtæ Pignæ in Poeticis, in Philoſophia Vincentio Madio, & Io. Antonio Locatello operam dedit; ſibi enim non defuit, ſeq. non contentus ingenij gloria, & magnorum Principum gratia, qua tum florebat, ad ſolidiora, & ampliora ſtudioſius comparauit. Quantum Siluio Speronus Patauinus tribuerit, in Dialogo de eloquentia eſt videre. Vtriuſq. Iuris facultatem aſſiduo ſtudio adeptus, Doctoratus inſignia Ferrarienſis Iuriſconſultorum Collegij auctoritate, & mira omnium ordinum gratulatione ſuſcepit. In Oppido Rubierę ædem Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris iuris patronatus Eſtenſis familiæ, vnde centum aureos annuos ſine vllo reſidentiæ munere, & animarum cura perciperet, munificentiſſimi Ducis beneficio conſecutus eſt, cumq. ampliora in dies ſperare iuberetur, inopinata, & ſubita beneficentiſſimi Ducis morte rerum commutationem factam, ſeq. ex tanta ſpe lapſum intellexit. Quare ſub initium Pontificatus Pij Quarti Ferraria cum matre, ac ſorore Romam ſe recepit. Principem, qui ab elegantiorum diſciplinarum, & amœnioris doctrinę ſtudijs alienus non eſſet, ingenioſorum parentem, ſuiq. ſtudioſum nactus, Principalem aulam, & vniuerſam ciuitatem in ſui admirationem, ingenij, & eruditionis gloria excitauit. Profitendi Cathedram Vrbanam ex auctoritate Principis ſortito, & humaniores litteras frequenti auditorio publice profitenti non adoleſcentes modo, ſed viri doctiſſimi operam dabant. cumq. orationis pro

ſione interpretationem aggrederetur, quinque & viginti Cardi-
les honoris gratia, ad illum audiendum conceſſerunt. Antonia-
m Pius Quartus Pont. Max. Motuproprio ſubſcripto Coadiu-
rem Rectori Gymnaſij Romani Camillo Peruſco Alatrienſium
iſcopo dedit, eiq. quandocunq. deceſſiſſet, vel abdicaſſet, mira
obitatis, eruditioniſq. prædicatione ornatum ſubrogauit. Caro-
in primis Borromæo Cardinali Principis optimi ſororis filio, quo
ncta vergebant, pergratus, acceptuſq. Latinarum litterarum ma
ter, & à ſecretis fuit. quo in munere tanto ſtudio, & fide ſe geſ-
, vt cum ab illo vnice diligeretur, dignus ſit habitus, cui ducen-
s aureos ſingulis annis, quoad viueret, penſionis nomine, ex duo-
m Monaſteriorum, quæ ipſe adminiſtrabat, reditibus, auctori-
te Apoſtolica pendendos, & ampliora etiam in dies decernenda
raret. Mirum enim in modum hominis ſuauitate, pudore, pru-
ntia, pietate, & doctrina in quotidiana conſuetudine delectaba-
r, & ſubciſiuis horis ab eo permulta, quæ ad humanitatem, &
ilosophiam ſpectant, attente accipiebat. Idem totius Italiæ le-
tione ſuſcepta Mediolanum conceſſit, quo Eccleſiam ſuam con-
ueret, prouincialiq. Synodo habita Siluio, quem ſecum duxerat,
gotium dedit, vt Concilij Mediolanenſis acta Latine conſcribe-
. Romam reuerſus cum maxime de Siluij dignitate augenda co-
aret, Pontificis Maximi auunculi ſui obitu rem infectam inuitus
liquit. Quam vero gratus ob morum ſanctitatem ſingularemq.
ctrinam Borromæo Siluius fuerit, ex ijs cognoſci poteſt, quæ Cæ
lus à Baſilica Petri, de Borromæi vita conſcripſit. Pio autem
into ſummo Pontifice renuntiato, quando ſe ad Mediolanenſis
cleſiæ regimen vocari plane intelligeret, Siluium à ſuo comitatu
eſſe, & Romæ remanere, licet eius operam valde deſideraturus
et, moleſte non tulit; quod is pietati erga parentes, quorum ſe-
ctutem præſens ſolari, tueriq. deberet, & charitati erga ſororem
oleſcentulam deeſſe non poſſet. Itaque Cardinale Borromæo
uo ire iuſſo, Siluius vehementius ſe litterarum ſtudijs, Philoſo-
iæ, ac Theologiæ in primis tradidit. Sanctorum Patrum libros
anibus nunquam dimittebat. Sacris vero aliquot ante annos
iatus, ad optimam viuendi rationem, quam à puero inſtituerat,
dinis Sacerdotalis neceſſitatem accedere voluit, quo rebus di-
is maiore pietate inſeruiret. Quotidie igitur Miſſæ ſacrificium

 in Ec-

in Eccleſia præcipue Sancti Hieronymi faciebat, vbi B. Philippus Nerius Sanctæ Congregationis Oratorij inſtitutor iam tum admirabili ſanctimonia eniteret, cui ſe ab ineunte ætate inſtruendum, regendumq. commiſerat. In hanc ſtudiorum, & vitæ religioſiſſimæ rationem vehementer incumbenti, delatum eſt à ſacro Cardinalium Collegio, Pio V. Pont. Max. auctore, ſecretarij munus, quo ſe abdicauerat Petrus Paulus Gualterius ſenio confectus, laboribusq. impar ferendis. Neque defuerunt viri rerum vſu, & doctrina inſignes, qui ſummi prope beneficij loco id peterent. Omnibus ſuperatis eam prouinciam nactus quattuor, & viginti totos annos incredibili ſollertia, conſtantia, & abſtinentia adminiſtrauit. Hominis induſtriam, & elegantiam teſtantur litteræ ſacri Collegij nomine ſcriptę, decreta, & Conſiſtorij acta in libros relata. Hieronymum Moronum patricium Mediolanenſem S. R. E. Cardinalem Gregorius XIII. ſummæ vigilantiæ, pietatisq. Pontifex Maximus Legatum in Germaniam deſtinauerat, vt Ratisbonenſi Dietæ Principum Imperialium conuentui intereſſet, ne quid aduerſus libertatem Eccleſiaſticam conſtitueretur. Is Siluium Antonianum ab epiſtolis Latinis Secretarium dari ſibi volebat. Gregorius ad Siluij nomen paulo commotior, reſpondit delicatum eſſe hominem, locupletem, quiq. difficillime ab vrbano otio diuelli poſſet, quod ipſe ſuperioribus annis intellexiſſet. Id fuit eiuſmodi. Siluium in neſcioquam Prouinciam Sedis Apoſtolicę cauſa ire Gregorius iuſſerat. Siluius excuſare matris valetudinem, ſororem virginē, adultam, inlocatam orare, ne contra pietatem, & officium ſuum periclitantes feminas deſerere cogeretur. Sub hæc Pontifex indignabundus, quid, inquit, excuſas? ergo quod magni beneficij loco egregij complures viri petunt, vnus recuſas? vtere, vt libet, delicijs tuis. Quare Cardinalis Moroni condicionem Siluius, vt ſummum Pontificem, cui gratus, acceptusq. iucunda, dum Cardinalis eſſet, conſuetudine extiterat, ea ratione placaret, matre præſertim valente, & ſorore in matrimonio collocata, facile accepit. In comitatu igitur ampliſſimi Cardinalis Legati quacunque iret, ſobrietatis, innocentię, ſanctimoniæq. exemplar omnibus fuit. Ratisbonæ quotidie ſacrificium Miſſæ peragebat, Mendicis ſtipem largiebatur, inde ſe in ædes abdebat. Studijs, & muneri ſuo vacabat. Vbi Principum Internuntij Cardinalem adijſſent, Siluius euocabatur, qui Le-

gati

gati vice ijs Latine reſponderet, interpretisq. officium obiret. Quod percunctanti mihi narrauit vir optimus Rodulphus Silueſtrius Bononienſis Medicus, qui vna in Legati comitatu erat. In Vrbem vero vt Cardinalis Moronus redijt Gregorio Papæ Siluiũ, cuius opera, & fide in ea legatione apprime vſus eſſet, accurate cõmendauit. Annuæ ducentorum aureorum penſionis ſpem factam conſtat, quę tamen ei attributa nunquam fuit. Sixtus V. Pontifex Maximus quoniam Epiſcopatum per Iulium Antonium Sanctoriũ Cardinalem Sanctæ Seuerinæ ſuo nomine allatum recuſaſſet, annuam ducatorum ducentorum penſionem ſuper reditibus Eccleſiæ Cauallicenſis Siluio reſeruauit, Cardinaliumq. de controuerſijs Epiſcoporum Congregationi ſecretarium adiunxit, quo tamen munere paucis poſt menſibus ſponte abijt. Diſtrahi enim varijs occupationibus nolebat, licet admirabili ingenio præditus quæcunque aggrederetur, incredibili celeritate conficeret. Id quod non obſcure teſtantur, quæ Sixto V. multa, & magna præſtitit. In ijs negotium ei datum fuerat, vt in Templo ſanctæ Mariæ Maioris Sacellum recens extructum, in Vaticano Bibliothecam, in Cœlio Aulam Lateranam, aditusq. ad ſanctã ſanctorum per Scalas ſanctas picturis exornandos quam aptiſſime curaret: quod & egregie abſoluit. Ex veteri enim, nouoq. teſtamento, ſacriſq. Concilijs argumenta petita imaginibus exprimenda, eorumq. collocationem pictoribus admirabiliter ſuppeditauit, inſcriptiones varijs Sixti operibus elegantiſſime cõcinnauit, quod & Clementis Pont. Maximis monumentis appoſuit. Libros aliquot Sanctorũ Patrum emendauit, Bullas complures compoſuit Sixti iuſſu. Nicolao Sfondrato Cardinali Cremonæ ob morum ſuauitatem; vitæ innocentiam, atque eximiam doctrinam adeo carus fuit, vt ſimulac Pontifex Maximus Gregorij XIIII. nomine aſſumpto renunciatus fuit, Siluium familiarem, & ſupplicum libellorum Magiſtrum dixerit. Quod item onus haudquaquam ſuis humeris par minime pertulit. Epiſtolas tamen Paſtorales permultas Pontificis nomine Italice ſcripſit, & grauiſſimis de rebus cum Epiſcopis tranſalpinis iuſſu Papæ per litteras egit. Eidem ſummo Pontifici diutius deliberanti, & quærenti quemnam Eccleſiæ Papienſi præficeret, Siluij communis amici viri ſpectatiſſimi rationem habendam eſſe cenſuit Auguſtinus Cuſanus ſingulari virtute, ac pietate Cardinalis. Gregorius lau-

data Cuſani ſententia ingenti alacritate Siluio Epiſcopatum defert. Siluius Pontifici Sũmo gratias quam maximas agit, Cuſanoq. reclamante delatum honorem verecunde deprecatur, quod & conſtantiſſime recuſat, quod animarum rationem ab Epiſcopo exactiſſime reddendam Omnipotenti Deo intelligeret. Iam vero paucis poſt Gregorij XIIII. & Innocentij Noni breuiſſimos Pontificatus menſibus Hyppolitus Cardinalis Aldobrandinus Clementis Octaui nomine adſcito ad ſummi Apoſtolatus apicem euectus Siluium ſibi ſatis, ſuperq. notum, ſpectatum, probatumq. Apoſtolici cubiculi Magiſtrum delegit. In eius locum a ſacro Cardinalium Collegio Secretarius eſt factus Antonius Querengus Patauinus Philoſophię, Theologiæq. peritiſſimus, ſingulariq. ingenio, iudicio, eruditione, atque eloquentia ornatus. Eidem celeberrimo in Auditorio Sanctæ Mariæ in Vallicella certis diebus ſermones mirifice habenti Ioannes Baptiſta Strotius Patricius Florentinus multiplici doctrina, pietate, Eccleſiaſticaq. facundia inſtructus ſucceſſit. Eo in magiſterio Siluius mirifice deprompſit quidquid doctrina, vſuq. perceperat. Præſto erat aſſidue Pontifici. Pro dignitate, maieſtateq. tanti Principis Cardinalibus, Regumq. Oratoribus aditus quam facillimi vt paterent, ſtudioſe curabat. Ciues, peregrinoſq. de Magiſtratuum, potentiorũq. iniurijs expoſtulantes ad ſanctiſſimos pedes humaniſſime admittebat. Aulicis modeſtiæ, continentiæq. exemplo erat. familiares ſuos, quibus ad victum, cultumq. domeſtice vtebatur, frequenter monebat, ne quid non caſte, non pie, non modeſte, non innocenter perpetrarent; Auaritiæ ſuſpicionem à ſe amouerent, vitam denique ad ſanctiſſimi Pontificis normam, voluntatemq. inſtituerent. Hominem habere ſibi Clemens videbatur, qui cum intra domeſticos parietes de rebus grauiſſimis diſſereret, quemq. cõſuleret, cuiuſq. in colloquijs acquieſceret. Non incommode accidit, vt Antonius Buccapadulius, qui in Breuium Secretorum officio laudabiliter conſenuerat, ex humanis excederet. Ei muneri Siluium Clemens ſtatim præfecit, qua in re non hominis tantum fidem, ſilentiumq. incomparabile, ſed & ſtilum Apoſtolicis Epiſtolis Eccleſiaſtice ſumma cum elegantia, & linguæ Latinæ ſplendore conſcribendis idoneum ſecutus eſt. Neque eum opinio fefellit. Nam cum frequenter ad quamplurimos Magiſtratus, Nuntios, Epiſcopos, Cardinales, Reges, Regulos, &

eſpublicas Pontificis nominé accurate ſcribendum eſſet, nihil ille
erturbabatur, non magnitudinem rei extimeſcebat. Id homini
ontulerat ſtilus, vt nullo negotioq; paucis horis Epiſtolarum acer-
os componeret. Nullam vllis in ſcriptis eius lituram aſpiceres.
ihil vnquam deleuit, immutauit, interpoſuit, nihil deſcripſit; li-
is ad eam rem nullis præter ſacra Biblia, eorumq; Concordantias,
tebatur. Ac ſæpe quidem acrius monendum, & corripiendum, po-
uliq; ad Dei opem implorandam adhortandi erant. Sanctorum
atrum Ambroſij, Auguſtini, Hieronymiq; ſcripta referunt Bullæ
ublicæ pro initio Pontificatus Clementis Papæ Octaui de maxima
iberis inundatione MDXCVIII. Indictionis Anni ſancti MDC. &
uæ longum eſſet recenſere. Præterea Siluium Clemens in Cano-
icorum Collegium, ſeu Capitulum ſancti Petri, vt appellant, quod
ardinalium Seminarium ſemper eſt habitum, adlegit; quo magnæ
ignationis; & reditus ſacerdotium ſine quotidianæ functionis la-
ore perpetuo haberet. Canonicatũ igitur Kalendis Auguſti inijt,
uod eodem die ſancto Petro ad Vincula ſacro multis ante annis
cerdos inſtitutus rem diuinam primum ad S. Petri Confeſſionem
ciſſet, quotannisq; deinceps eodem recurrente feſto ibidem Miſſæ
crificium celebrare conſueuiſſet. Et quamquam ob magnas, mul-
plicesq; Apoſtolici Palatij occupationes vacationem, exemptio-
emq; Canonicatus vltro permiſſam ſibi intelligeret, tamen aut ne-
otijs ſe quam ſæpiſſime poſſet, ſubtrahebat, aut quotidianas di-
ributiones, quibus mulctari ſolent, qui horis canonicis minime
terſunt, dari ſibi non patiebatur. Quod non eſſe pudoris, aut ab-
inentiæ ſuæ diceret quidquam auferre, quod ijs, qui per totum
nni ambitum choro inſeruiunt, deberetur: cumq; pertinaciſſime
oppoſitum vrgeret, neque de ſententia deduci poſſet, admonitus
onſuetudinis, & Apoſtolicæ auctoritatis petijt, vt in ſodalitatem
nctiſſimi Corporis Chriſti Baſilicæ S. Petri erogaretur, quidquid
d ſe eo nomine pertineret. Ac ſi quando cum plueret, ningeretve
rincipalibus occupationibus diſtentus campanæ ſonitum Canoni-
os ad Eccleſiam excientem inaudiſſet, continuo, me miſerum, aie-
at, qui ſub Vaticani Palatij tecto cæli iniuriam defendo; illi vero
diſſima tempeſtate vndique in Baſilicam confluunt. Ijs autem
ebus, quibus officio in Eccleſiam ſuo ſatisfeciſſet, ſacriſq; fre-
uens adfuiſſet, dici non poteſt, quam hilari animo, vultuq; ſe

oſtenderit. In Quirinalem vero ſalubriorem collem quoties cum Aulicis Pontifex ſecederet, quod Vaticanum ſolum per æſtatem peſtilentius haberi ſoleat, ipſeq. diebus certe Dominicis mane in Vaticanam Baſilicam ad ſuum officium perſoluendum reuerteretur, forteq. herbam in S. Petri Scalis ſuccreſcentem conſpexiſſet, indignabundus exclamabat, facinus indignum? quis hoc ferat? ergo Vrbe ſalua, incolumi Principe, felici Eccleſiæ Romanæ ſtatu ſancti Petri Baſilicam deſertam videri patiemur? quin parum celebris per anni tempus loci quidquid hoc inditij eſt, auerruncatur? Aedituoq. accerſito negotium dabat, vt ſcalas repurgandas curaret, ſumptum ipſe ſuo ære in eam rem ſuppeditabat. Canonicatus vero fere totum vectigal pauperibus dotandis puellis, ſuſtentandisq. egentibus arbitrio eius ſacerdotis, qui Parochiam S. Petri curaret, alioſq. in vſus Baſilicæ impendebat. Caput S. Iacobi Interciſi, cuius memoriam mira pietate coleret, tenus pectore cum baſi rebus ab eo geſtis, titulisq. ornata ex argento faciendũ curauit, & in ſacrario ſolemni ritu collocauit; opifici ſexcentos aureos perſoluit; ex eodemq. metallo in coronæ formam lychnum penſilem ante Martyris Reliquias perpetuo arſurum fecit, reditumq. in oleum attribuit. Quattuor item pallia quaternis coloribus Altari S. Andræ in eodem templo cum Apoſtoli, & ſancti Gregorij Magni imaginibus auro intertextis dono dedit. Strenæ quoque nomine Sacriſtiæ Baſilicæ miniſtris Natali Domini, & S. Petri feſto, alijſq. anni temporibus, vt occaſio poſtularet, liberaliſſime de Canonicatus reditibus maximam pecuniæ vim diuidebat. Archiepiſcopi Napolitani morte Abbatiam S. Mariæ Montis Viridis Clemens Siluio adminiſtrandã dedit. Iſque vbi a Monachis Caſinenſibus finitimis, quos per litteras de eius Eccleſiæ cultu conſuluerat, templum tecto, campana, ſacris veſtibus, inſtrumentoq. omni, & foribus carere oppletum fimo, quod armentorum ſtabulum diu fuiſſet, certior factus eſſet, illico mandauit tẽplum repurgari, reſtaurari, ornari, inſtruiq. ſuo ſumptu, quattuorq. Altaris paratus, totidemq. ſacerdotis planetas coloribus quaternis fieri, & in campanam aureos ſexaginta erogari iuſſit. Amico autem ſuo gratioſiſſimo, qui cum rerum ſuarum rationem putare conſueuerat, acrius præproperam impenſam repræhendenti, expectandumq. certe, dum ex agrorum locatione pecunia redigeretur, monenti reſpondit, cunctationem prorſus omnem deteſtabilem eſſe,

vbi

i de cultu domus Dei agitur. Nonne, inquit, meminiſti hilarem
torem a Deo diligi? quin potius diuina factum prouidentia cen-
amus, vt meæ commiſſa fidei hæc ſit Eccleſia diutius neglecta, &
profanos vſus contumelioſe deſtituta. Nimium germani nego-
atoris eſt, nihil repræſentare, nihil in rem quampiam, cuius ratio
noretur, expendere: Sacerdotia nobis creduntur, non quo locu-
etemur, ſed quo Eccleſiaſticorum bonorum procuratores, & di-
enſatores ſimus, quæ partim Eccleſia, partim pauperes ſibi vindi-
nt. Agi deinde cœptum a nonnullis de Abbatiæ agris conducen-
s quanti ſuperioribus annis locari ſoliti eſſent, quingentis ſcilicet
ireis annuis. Quod cum minus Monachis Caſinenſibus, qui ſoli
rtilitatem noſſent, probaretur, Siluio perſuaſerunt, vt trium an-
ōrum cultura agrorum fides exploraretur, ipſi ſtudium, & curam
enigne polliciti. Primi vero anni prouentu mille, & quingentos
ireos ad ſe perueniſſe vt accepit Siluius, familiarem ſuum, a quo
ehementius obiurgatus fuerat, acciuit. Viden, inquit, quam
otens ſit Deus, quamq. cumulatius rependat ijs, quibus Dei cul-
is, & honor eſt curæ. Subſtantia cum bene erogatur, augetur.
iuſdem porro regionis quattuor puellas tenuiores ſacro Penteco-
es die dotauit, & albis veſtibus donauit, plebiq. inopi magnam
m panis diſtribuit, quod deinceps, quoad vixit, quotannis, & ma-
ra præſtitit. Monacho autem, qui ea procurabat, amice monen-
, ne in populum non ita egentem reditus exhauriret, ſed ſibi, do-
uiq. ſuæ conſuleret, reſpondit, qua in Cælum aſcenderet, non qua
barathrum deturbaretur, viam oſtendi ſibi velle; rationem vero
i familiaris, & domus ſe vel nullam, vel in poſtremis habere. Mo-
ichos autem ne diuturnioris procurationis moleſtia afficeret, agros
ptingentis, & quinquaginta in annos ſingulos aureis locauit. An-
onæ caritas Vrbem Romam complures iam annos affligebat. Ra-
onem, qua plebem Vrbanam, ruſticamq. penuria leuaret, Cle-
nens inire ſtudens, nihil intentatum relinquebat. Ex Sicilia, Hi-
ſpaniaq. frumenti copiam quam maximam in Italiam inuehendam
irauit: ſed quoniam vel prope corruptum metiretur, vel magno
eniret, rei ruſticæ peritiſſimum quemq. accerſiri iuſſit, ex eorumq.
rmonibus agrorum culturam pleriſque in locis colonorum inopia
termiſſam, & pene deſtitutam eſſe vt cognouit, pecuniam ad bo-
es aratores coemendos, operas conducendas, arationemq. inſtruen-
dam

dam quantam fide publica iuſſiſſent, Ciuitatibus ex fiſco mutuam dedit; ipſe cum aliquot Cardinalibus Viterbum menſe Aprili anno 1597. profectus Etruriæ oram maritimam ſancti Petri Patrimonium circumiuit, campos feraces colluſtrauit, ſementem quam maximã factam eſſe conſpexit, agris conſitis benedixit, operiſq. ſegetes perpurgantibus ſingulos aureos donauit. Cornetum ingreſſus Quinqueuiros ciuitatis, & me Prætorem monuit, ne agricultura negligeretur. Pontifici Siluius multa, & magna, qua erat prudentia, ſuggerebat, pleroſq. accurate commendabat, meque præcipue his verbis: Hic e noſtris eſt Beatiſſime Pater, nunquam a latere Principis digrediebatur. Eodem anno menſe Auguſto in grauiſſimum, periculoſiſſimumq. morbum Clemens incidit. Pro ſalute Pontificis valde anxius Siluius Deum orare, Sanctorum fidem implorare, nihil omittere quod valetudini opus eſſe intelligeret. Simulatque Beatiſſimæ Virginis Mariæ interceſſione Principem conualuiſſe ſenſit, lætitia exſiliens mihi, vt Soteria ſcriberem, auctor fuit. Paucis vero poſt diebus rumores de Alfonſi Eſtenſis Ferrariæ Ducis obitu allati ſunt. Clemens ditionis Eccleſiaſticæ factam Ferrariam Oratoribus Cæſaris Eſtenſis reſpondit contumacius repugnantem per litteras monuit, vt de regionis alienæ poſſeſſione abiret. Minus dicto audientem ſolemni ritu publice excommunicauit. Milites conſcribi iuſſit. Exercitui Petrum Aldobrandinum Cardinalem fratris filium Apoſtolicum Legatum præfecit; cum imperio ad recipiendam Ferrariam miſit. Aduentu Legati res compoſitæ; Mutinam conceſſit Dux Eſtenſis. Clemens autem vere adulto 1598. Roma migrauit, Ferrariam adijt, Ciuitatem conſtituit, tributorum, & munerum onere ſubleuauit, ſua preſentia recreauit. Quæ Siluius Clementi in Vrbe, peregreq. in otio, & in negotio, publice, priuatimq. præſtiterit, quamq. vigilarit, vt Princeps officium ſuum per ordinem gerere poſſet, quantoq. adiumento bonis omnibus vbique fuerit, ne recenſere quidem diſertiſſimus quiſque poſſit, ex aſpectu autem Ferrariæ, vbi cum Giraldis, Pignis, doctiſſimiſq. viris familiariter vixerat, incredibilem voluptatem percepit, lætitijſq. omnibus inceſſit, quotieſcunque amicorum liberos, neceſſarioſq. ſtudio, gratia, opera adiuuit. Reuerſo demum in Vrbem Clemente per fœdiſſimã tempeſtatem multis diebus continuatam, aſſiduis, largiſſimiſq. imbribus Tiberis auctus exeunte anno 1598. pridie Natalia reſtagnare pri-

num, & diffundi per plana Vrbis cœpit, deinde violentius, rapi-
ſq. euagatus maiore calamitate poſt hominum memoriam Vr-
n, ſuburbiaq. affecit. Quare Kalendis Ianuarijs Siluius familia-
ſuos, quos apud ſe aleret, inter prandendum allocutus eſt. Has,
uit, pœnas, filij cariſſimi, Deus meis, & fortaſſe cuiuſpiam ve-
m delictis offenſus exigit, pauperes tamen nunc vapulant, pau-
es affliċtantur, qui tabernas depreſſiores cœno adhuc obductas,
iſq. fluuialibus madentes magno cum valetudinis periculo inco-
t, rerumq. omnium penuria laborant. Nos autem ſublimioribus
ibus recepti ciborum copia affluimus: nos deliquimus: de illis,
nor, immerentibus ſupplicium ſumitur. O nos miſeros, qui ad
c non expergiſcimur, nec reſpicimus, quorſum hæc tendant? Ad
uiora ſcilicet, ni reſipiſcimus, reſeruamur mala. Redimamus
tur peccata noſtra eleemoſynis. Oeconomo ſuo imperauit, ne
id emendum, apponendumq. ſibi toto eo anno præter veruecinæ
pusillum carnis, & iuſculum, pirumq. coctum pateretur; deinde
ſuos conuerſus: Et vos, inquit, filij ſi quid deſiderabitis, ſi non
iparè veſcemini, libenti animo perferatis, Deumq. in pauperibus
ſtra corpora defraudando alamus. Totum enim huius anni ve-
gal meum pauperibus ſuſtentandis erogare decreui. Hæc ſimul
dixit libellum ſua manu cōſcriptum e ſinu protulit, Oeconomoq.
didit, mandauitq. vt pecuniam vniuerſam ſuam in pauperes,
emadmodum ipſe ſcripſiſſet, ſedulo diſtribueret. Quinto Nonas
rtij anno 1599. Optimus Maximus Clemens cum promotionem
decim Cardinalium haberet, in Conſiſtorio Siluium Antonianum
ris in cælum laudibus extulit, & S. R. E. Presbyterum Cardina-
n fecit. Nos ei dignitatem gratulati carmen, quod & extat, edi-
nus. Cum primum per gratulantium officia licuit, ſub noctem
itrem, ſororemq. adijt, congaudentes ſalutauit, monuitq. ne quid
ioris ſpiritus honoris acceſſione ſumeretur; ſcirent potius maius
blici miniſterij onus ſuis humeris impoſitum, maioreſq. ſe labores
nere, modeſtius, demiſſiuſq. apud Deum tanti muneris aucto-
n gerere ſe, ſuoſq. oportere. Eadem quoq. de re ad nobiliſſimos vi-
s Albinium Attium, & Rafaelem Gualterium ſororis ſuæ generos
curate litteras dedit. R. P. Ioanni Matthæo Ancinę Congrega-
nis Oratorij Presbytero eo nomine gratulabundo reſpōdit: Pater
ora, ne hoc pileum rubeum me perdat. Domeſticis item ſuis in
ean-

eandem fere ſententiam multa elocutus edixit, ne quem Epiſcopum, Prælatum, Principum, ciuitatumve Oratorem, aut internuntium, Religioſorum Ordinum, Congregationumq. Procuratorem ad ſe adeuntem præſtolari tantillum ſinerent, ſed ſtatim de eorum aduentu ſe admonerent. Non enim, aiebat, ad delicias, voluptatesq. Cardinalatus defertur. Publicum munus eſt, & publica perſona, quam ſuſtinemus; publico igitur vſui inſeruiendum eſt nobis. Cardinalium ædes, & cubicula adeuntibus ſemper patere deberent, vel ſi fieri poſſet, cum in lectulo quieſcunt, & dormiunt, vt ad publicum officium ſtatim excitarentur. Hæc, inquam, purpura, qua me vti Clementis benignitas voluit, non faſtus, & regiæ ſuperbiæ eſt inſigne, ſed erga proximum caritatis ignem repræſentat, & refert. Eiſdem præcipiebat, vt humillimum quemq. quam humaniſſime exciperent, admitterentq. cum primum per publicas occupationes liceret; meminiſſentq. Italicum Aulici vocabulum ab humanitate profectum eſſe. Numquam ad menſam ſedens reficiebatur, numquã cubitum diſceſſit, quin ſuos ad virtutem, Deiq. metum adhortaretur, Sanctorum, Sanctarumq. illuſtribus exemplis inſtrueret. Quanti vero ſuauiſſimos Siluij mores, ſingularem eruditionem, prudentiamq. Pontifex faceret, hinc deprendi facile poteſt. Vix hominem in ampliſſimum ordinem retulerat, cum quaſi ſolus ſibi relictus videretur, conqueri cùm Cardinale Baronio cœpit, ſuam iacturam prędicare, delatum amico munus. Non enim ſe poſt illa habiturum, qui cum de ſacris litteris, de republica ſermones familiariter conferre poſſet, quem, vbi opus eſſet, domeſtice conſuleret, cuiuſq. iucunda conſuetudine oblectaretur, & qui demum inſtar Antoniani ſibi eſſet. Tamen dandam operam, vt aliqua ratione incommodum ſarciretur ſuffecto alio in Siluij locum, in quo inueniendo Baronij ſagacem induſtriam ſibi opem ferre cupiebat. Narrabat Baronius ſe Antonium Quærengum, qui, vt ſupra commemoraui, in Scribæ Sacri Senatus miniſterio Siluio ſucceſſerat, nominaſſe, neque initio abnuiſſe Pontificem. Verum quo minus in Vrbem reuocaret, obſtitiſſe paulo ante exortam cum Cardinale Daualo ſimultatem, cuius in familia multos annos verſatum Quærengum quãtumuis probatæ integritatis, & fidei, obnoxium reprehenſioni conſilium videbatur interiori cubiculo, arcaniſq. ſermonibus adhibere. Rurſum Siluio Cardinali creato Epiſcopatus maiore metu æſtuare contigit. Nar-

nienſem Eccleſiam Clemens Octauus, qui Siluij doctrinam pariter, & pietatem Epiſcopo neceſſariam notam haberet,ei afferebat. Contra ille, qui ſe tanto muneri longe imparem putaret, magnumq. animæ ſuæ diſcrimen, ſi tale quid ſuſciperet, formidaret, ab eiuſmodi onere abhorrebat. Ruſus vero,quod ſuſpicaretur potentioris cuiuſpiam ſtudio fieri, vt ſpecie honoris ablegaretur, ſollicite deliberabat, vtrum tempori cederet, periculoſamq. prouinciam ſubiret, an libère detrectaret. Ea de re Confeſſarium ſuum D. Theophilum Deo amabiliſſimum conſuluit certiorem factum, quid ſuperioribus annis conſilij ſui fuiſſet, cum Papienſem Eccleſiam recuſauit. Laudato Cardinalis conſilio Confeſſarius, vt in ſententiam perſiſteret, nihilq. formidaret,ſuaſit. Deum in primis ipſe ieiunijs, precationibusq. obſecrauit, vt quod ſaluti ſuæ expediret, id diuina prçeunte prouidentia ipſe ſequeretur. Epiſcopatum intrepide reiecit. Pari quoque conſtantia in Capuana Eccleſia deprecanda, quam Clemens illi adminiſtrandam committebat, ſe geſſit, quod ab eodem Confeſſario accepi. Victu ſimplici, & vno tantum ferculo ſemper eſt vſus, ſi ſolus eſſet. Cum hoſpitem ſuſciperet, geminari iubebat, ſobrietatem diligebat; luxum deteſtabatur, corpus alendum modice, ſuſtentandumq. dicebat, non onerandum, pauperum eſſe, quæ impotens gula conſumeret, pauperibus ſuperflua eſſe danda, quod & ipſe faciebat. Eandem quoque parſimoniam in veſtitu adhibebat, neque eſt quod ſordes ei quiſquam objiciat. Nam quæcunque ad Cardinalitiam dignitatem, ſplendoremq. pertinerent, cum in publicum prodiret, aut Principes exciperet, ea omnia ſibi quæri, comparariq. iubebat, nulliq. ſumptui ea in re parcebat, neque potentiſſimo cuique, opulentiſſimoq. Cardinali cedebat. Domeſticæ vero, & priuatæ veſtis impenſam ægre ferebat, quod in alios pios vſus impartiri deberent, quæ minus ſibi neceſſaria eſſent. Adnotarunt nonnulli Siluium, ex quo Presbyter inſtitutus eſt,nunquam niſi poſtquàm Cardinalis eſt factus,ſericis veſtibus vſum fuiſſe. Abſtinentiæ fuit incomparabilis. Munera, & dona cuiuſuis generis ad vltimum vſque vitæ diem pertinaciſſime reſpuit; quod Gregorij XIII. Papæ de datis, & acceptis Conſtitutionem religioſe obſeruandam ſibi propoſuiſſet, caueretq. ne cui muneribus capi, corrumpiq. poſſe videretur. Sed ne auicularum quidem, piſciumve munuſcula quantumuis parua dono ſibi dari vnquam eſt paſſus:

vix,ægreq. pomorum lancem ab amicis, poſtquam Cardinalis eſt factus, accepit; eaq. ſtatim familiaribus diuidenda curauit, ne quid inde emolumenti ipſe perciperet, auiditatiq. indulgere aſſueſceret. Principibus officij ergo (quod certis, ſolemnibusq. anni temporibus ambitioſe fere ab omnibus fit) numquam ſcripſit. Ad Regem quemdam gratias Siluio Cardinali Antoniano per litteras agentem, quod per eum quod voluiſſet, à Clemente impetraſſet, reſcripſit, gratiarum ſe actionem eam non agnoſcere, quod a Pontifice Maximo beneficium profectum eſſet:ſe Principis ſui iuſſa tantum obijſſe. Nemini operam, ſtudium, gratiam venditauit, neque ambitioſe oſtentauit. Parentes inuſitata pietate coluit. Matrem enim, quæ viro, vt diximus, voti perſoluendi, & amore viſendi, venerandiq. ſanctum Domini ſepulchrum cauſa Hieruſalem profecto, patris etiã partes ſubierat, & filium ingenuis artibus, fidibuſq. erudiendum curaſſet, eamq. in rem Principum, qui miro pueri ingenio delectarentur ſubſidio, per propinquos prudenter vſa eſſet, adeo reueritus eſt, vt non ſolum ad eius nutum puer vixerit, ſed prope quinquagenarius antequam in Aulam Principalem à Clemente Octauo vocaretur,nunquam domo niſi conſulta, & valere iuſſa matre, benedictionemq. ab ea impetraſſet, abierit, nunquam domum ſe receperit, quin ſtatim matrem adierit, ſalutaueritq. Non enim ex quo Ferraria Romam redierat, promiſcue habitauit eum feminis matre, ſorore, & ſororis filiabus. Sed ijs in Ginæceo collocatis, ipſe cum paucis familiaribus, quibus vtebatur, ſeorſum in priore ædium parte degebat. Patrem vero religioſa peregrinatione aliquando in Vrbem reuerſum incredibili caritate complexus quam diutiſſime benigne aluit, honorifice tractauit, defunctum luxit, extulit, ſacrificijs Miſſarum adiuuit. Diem obitus, ætatis annum, ſepulturę locum in diaria ſua his verbis retulit: Die 28. Martij 1574. in Dominica Paſſionis obijt b. m. Matthæus pater meus, cuius anima requieſcat in pace, ſepultus ad ſanctiſſimæ Trinitatis prope Pontem Sixti, cuius ſocietatis ſodalis fuerat, annum agebat 69. Franciſcam Sororem dotauit, nuptui dedit, ſororis filias Plautillam Raphaeli Gualterio Vrbeuetano, Catharinam Albino Attio Tudertino viris quã maiorum ſplendore,qua propriarũ virtutum laude florentiſſimis. ad earum patrimonium quinis aureorum millibus in ſingulas adiectis honeſtiſſime in matrimonio collocauit, licet plores ex Romana nobili-

bilitate iuuenes certatim peterent. quod Clemens auctor ei fuiſſet, vt in propinquis Romæ vrbibus conditionem puellis quæreret. Hieronymum Badeſium Materteræ nepotem ad omnem litterarum, & virtutum præſtantiam informauit; Cardinali Lancelloto ſecretarium ab Epiſtolis dedit, perpulitq. vt Sixti V. ſacellum in templo ſanctæ Mariæ Maioris tribus libris complecteretur. quod opus heroicis verſibus conſcriptum ab omnibus celebratum edidit, eoq. nomine à liberaliſſimo Pontifice, qui prolixe ingenia fouebat, centum aureos, & reditus Eccleſiaſticos tulit. Apud Cardinalem Cuſanum Siluij commendatione, & morum; doctrinæq. ſuffragatione cum ſummo eſſet loco, & ornamenta virtuti debita facile conſequi poſſet, morbo importune interceptus perijt. Acerbiſſimo eius funere doluit Siluius, ſed conditionis humanæ minime oblitus, deſiderium defuncti ſpe ſalutis æternæ iam tum adeptæ ſolatus eſt. Franciſcum Tonanum pueritiæ ſuæ cuſtodem, educatorem loco parentis dilexit, apud ſe ad extremam vſque ſenectutem honeſtiſſime habuit, mortuum inferri iuſſit in monumentum, quod ſibi, ſuiſq. fecerat. Laurentium Freſcum Tarquiniæ materteræ nepotem humanitate, & induſtria præditum apud ſe habuit, & ornare cœperat. Propinquis, amiciſq. nunquam defuit. ſi eorum nomina tenerem, & recenſere vellem, quos conſilio, & re adiuuit, in immenſum, opus excreſceret. Superſtibus amicorum liberis, nepotibus, neptis, fratribus, ſororibuſq. ſemper adiumento, & ornamento fuit, quamuis a parentum laude abeſſent, quòd diceret, ſe ijs benefacere, vt eius vtar verbis, propter Dauid ſeruum meum. Parem gratiam ei ab amiciſſimo miror non relatam, qui in Franciſcam Cardinalis Antoniani ſororem ſuperſtitem, viduam pudiciſſimam, & pudentiſſimam nullum beneficium, aut officium contulit. Equidem ingrati animi notam declinare non potero, niſi profitear magnam otij ſenectutis meæ partem Siluij Antoniani beneficio partam eſſe, & quibuſcunq. rebus poſſim, memorem, gratumq. præ me feram. Quid amicis Siluium dico proſpexiſſe, & profuiſſe? æmulos, inuidos, quiq. obſtare, & detrahere dignitati ſuæ aperte dicerentur, vehementer amauit. Caſtigatus a neceſſario illo ſuo, quod aduerſarijs benefaceret, quodq. ijs apud Summum Pontificem adeſſet, a quibus carperetur, inſimularéturq. reſpondit, inſtituti eſſe ſui, vt quos exiſtimationi ſuæ aduerſarios intelligeret, in eos

maiora, quàm in amicos beneficia conferret, nec ſe interpretari eorum dicta perinde, atq. ipſe accepiſſet. De obtrectatoribus vero ſuis interrogatus quid ipſe ſentiret, ea prædicabat, quæ de ijs, qui laudi ſuæ fauerent, eloqui ſoleret, neque eos ambitione quadam ornabat, ſed vere, & ex animo loquebatur. Aiebat enim non ex quauis ſiue factorum, ſiue dictorum ſignificatione cuiuſcunque conſilium argui ſemper poſſe. quod quæ praua plerunque nobis videantur, ea iuſtus rerum Iudex, & cordis perſcrutator Deus recta eſſe cenſeat. Si forte (vt ſæpenumero fit) cum amicis, familiaribuſq. colloqueretur, audiretq. cuiuſpiam vel turpiter admiſſa, vel negligenter omiſſa, continuo eos interpellabat, aut ſermonem alio detorquebat. Obtrectationi, quæ pronis auribus accipi ſolet, aures occludebat: neminem rodi patiebatur, de nemine adduci poterat, vt perperam ſuſpicaretur, neminem improbum eſſe ſibi perſuadebat. Familiarium ſuorum ſtultitiam, vitia, & errata incredibili patientia ferebat, eoſq. paterna caritate complexus corripiebat, ab erroribus in viam reducebat. nunquam ſtomachabundus cuiquam conuicium fecit, quod negligenter, perperamq. quidquam aut contra officium feciſſet. Neminem quantumuis ineptum, ignauum, nequam dimiſit; omnes potius neruos intendebat, vt vitia euelleret, virtutes inſereret, idq. crebris, & apud ſingulos, & apud vniuerſos monitionibus, cum inter comedendum quidpiam ex Sanctorum rebus geſtis quotidie recitaretur. Ea enim ſeligebat, quæ ad corrigendum, excitandumq. quem potiſſimum vellet, valde idonea eſſent. Præterea dicebat non humano, ſed diuino factum conſilio, vt is in ſuorum numerum reciperetur, quo ipſe illius culpas patienter ſufferret, non propter culpas illum amandaret. Enitendum ſibi, vt modis omnibus meliorem, quàm accepiſſet, familiarem aliquando redderet; nec deſperandum de fratris ſanitate, & reſipiſcentia. Aliter vero ſentientes ſic refellebat: Si imperfectum quemq. non tolerem, ſed e domo mea ablegem, quibus tandem vtar? Excluſus item facile deterius quid aduerſus Deum, & homines grauiore cum animæ ſuæ detrimento peccarit. ipſe quod alienæ inſipientiæ impatiens familiarem meæ commiſſum fidei non retinuerim, non rexerim, ſed præcipitem dederim, in cauſa fuerim, quamobrem ijs ſceleribus ſe inuoluerit: odit fratrem qui odit vitia; toleranda ſunt vitia, & exercitatione paulatim ex-

tirpanda

tirpanda, in mentemq. reuocandum Dei beneficio, & miſeratione factum eſſe, vt ipſe ijſdem, & grauioribus quidem minus laborem. Non defuere, qui Cardinalis Antoniani tantam clementiam reprehenderent. Sed (vt dixi) fruſtra. Nam moroſos, ſuperboſq. & luxu fluentes quoſdam perpetuo tolerauit grauiora ſane delicta, & ſcelera, quorum contagione ceteri corrumperentur, non vtique tuliſſet. Quod intelligi poteſt ex tabella, qua domeſticos ſuos valetudinarios incredibili pietate curandos pręcipiebat, eos enim, qui ex ſcortorum conſuetudine valetudinem, morbumq. collegiſſent, amandandos confeſtim iubebat, neque in ſuorum numero eſſe patiebatur. Si quis confamiliarem ad eum detuliſſet, quod quidquam negligenter, nequiterve admiſiſſet, caſtigatum monebat, ne iterum calumniandi libidine, aut gratiæ ab ſe ineundæ ſtudio tale quid auderet. Suos omnes familiares, qui ſacris ordinibus initiati non eſſent, filios, Presbyteros vero fratres appellabat, eoſq. inter ſe mutuo diligi, & maxime vnum eſſe, neque diſſidio vnquam diſſerri volebat. Quod ſi quando vſuueniſſet, vt quorundam animi altercationibus, aut quouis caſu alienarentur, dabat operam, vt illico in gratiam redirent. Neque mirum eſſe affirmabat offenſionibus interdum vehementius affici, qui vna degerent. Illud autem ſtudioſe cauendum, ne a iurgijs irati cubitum diſcederent, quod ex diuturna voluntatum alienatione ſimultates, & odia oriri ſolerent; quare ſtudendum, vt actutum reconciliarentur. Ea quoque ratione prudenter efficiebat, vt in illis ipſis fraterna coaleſceret beneuolentia; quod ſollicite videbat, vt domus ſua ijs malis præcipue careret, quibus afflictantur pleræque potentiorum domus, ne quis ſcilicet apud ſe gratioſſimus præberet ceteris anſam inuidendi, & odio perſequendi, quem vnice diligi, & reliquis ſuperbe imponi cernerent. Suus vnicuiq. apud Cardinalem Antonianum erat locus, qui frequenter illud vſurpabat, a ſe familiares omnes diligi, quorum opera pro perſonæ, quam ſuſtineret, dignitate ſibi neceſſaria eſſet, non ſecus ac corpori membra omnia, quibus vtitur, cariſſima ſunt. Indulgentia, & benignitas in illos pluſquam paterna enituit. Quod domi pene ſolus, cum a Prælatis adiretur, inuentus eſſet, moleſte non tulit, neque abſentibus ſuccenſuit. Frequentem tamen comitatum cupiebat, ſi quando Cardinalitium munus ſplendorem ſuum flagitaret. Paucis ante Quadrageſimam

diebus cum ludi ad publicam hilaritatem exhibentur, ſaeros omnes ſpectatum emittebat; fores ædium occludi iubebat. Solus ipſe in cubiculo quidpiam commentabatur, ſiquem fortaſſe remanſiſſe, vt domum ſeruaret, animaduertiſſet, continuo vt abiret, quo ceteri præcipiebat. Iſdem diebus ad quotidianum demenſum non exiguam nummorum acceſſionem ſuis faciebat, quo vna omnes vnctius cœnarent. Varijs etiam anni temporibus, & ſolemnibus diebus familiares ſuos pecunia donare conſueuerat; præſertim vero Domini Natiuitate, & S. Petri Feſto cẽtenos ſingulos honeſtioribus aureos ex penſionibus Capuana, & Eugubina donabat. Ceteros item pro condicionis cuiuſque loco munerabatur. Lætiſſimo quoque Reſurrectionis Dominicę die Triclinium ſuorum ingreſſus vna ſedens vultu comi, & hilariore prandebat, ſuaq. manu quod ſibi in menſam illatum eſſet, in ſingulos diuidebat; atque vbi familiarium corpora cibis opipare pauiſſet, eorundem animos adhortatione ad Dei metum, & Reſurrectionis ſpem concinna reficiebat; poſtremo Paſchalis lætitiæ donatiuum cunctis attribuebat. Quotiens Quadrageſimæ diebus e templo in ædes ſe à concione, & Verbi Dei prædicatione audienda recepiſſet, ſeriuſq. iam ſibi videretur, quam iuniores ieiunium ferre, & protrahere poſſent, conuerſus ad ſuos quam humaniſſime aiebat: filij mei ex templo ad corpora curanda diſcedite. Ego me publicis veſtibus exuam. Officioſius quempiam remorantem acrius increpabat, atque a ſe remouebat. A refectione autem maturius reuertentes, vt ſibi ieiuno præſto eſſent, miniſtrarentq. paulo commotius repræhendebat, monebatq. ne alias feſtinanter comederent. Eadem ratione vtebatur, vbi a Conſiſtorio, & Congregatione quapiam reuerteretur. Cum in multam noctem lucubraſſet, vbi decubuit, conqueſtus eſt de ſuorum negligentia, quod lectulum offendiſſet minus calefactum, quam hiemis frigidiſſimæ tempus poſtularet. Subinde adeo quærimoniæ illum pœnituit, vt tres totas horas inſomnis fuerit ſe nimis delicatum incuſans, & culpæ ſuæ veniam a Deo petens. Quam multi, ad Dominum exclamans aiebat, lautiore loco nati, quam ipſe ſim, & quidem Deo dilecti apud Turcas immaniſſimos fidei noſtræ hoſtes ſeruitutem duriſſimam ſeruientes, nunc ſub dio, vel humi, vel certe tabulis ſtrati gelu exuruntur. Ego ingratiſſimus peccator tecto, & parietibus cæli iniuriam defendens, &

mol-

molliter cubans iniuſte conqueror. Hæc iterans pectus percutiebat gemebundus, vt Ambroſius Baccicalupus Genuenſis intimus familiaris, qui non longe in eodem cubiculo quieſcebat, facile audiret. Si quem ſuorum ſubtriſtem forte conſpicatus eſſet, cum eo ſic diſſerebat: fili ſi doles, quod Deum peccatis offenderis, non ab re triſtaris; ſin minus, nihil eſt, quare mæſtus ſis; licet minus ex ſententia res eueniant. Fluxa ſunt, & caduca quæcunque a mortalibus tantopere expetuntur. Lætare fili, Deus enim æterna nobis pollicetur. Cælum ipſum nobis reſerauit. Quamobrem Deo fidendum eſt, in Deo ſpes noſtræ collocandæ ſunt. In Deo fili ſi ſperaueris, Deus tibi non deerit. Hominibus ſi confidas, homines te decipiet. Neque me ex eo numero excipio, qui nequiſſimus ſim peccator. Suos omnes ab otio, & inertia quàm maxime poſſet, deterrebat. Omnibus ſuadebat, vt lectioni, & ſcriptioni ſtrenue operam nauarent, ſeq. in omnem aleam inſtructiores compararent. Cum ægrotarent, nullum in illo paternæ caritatis officium deſiderabatur. Rationem, qua familiares ſui in aduerſa valetudine benigne curarentur, & quæcunque opus eſſent, cumulatiſſime a ſe præſtarentur, ſua manu conſcriptam Oeconomo tradiderat, caueratq. ne quidquam prorſus omitteretur. Qui ægro aſſiſteret, miniſtraretq. deſtinauerat, de vi morbi, curationibusq. medicum ſollicite percunctabatur, mittebatq. in horas fere ſingulas, qui decumbentem inuiſeret; ipſe quoque illum ſæpe adibat, blande appellabat laborantem conſolabatur, febris æſtus, & tormenta, vt æquo animo toleraret, Deiq. opem fidenter imploraret, ad Beatiſſimæ *Virginis Mariæ*, Sanctorumq. interceſſionem confugeret, accurate monebat: ſi quid humanitus ſibi accidiſſet, Chriſto Redemptori animam ſuam commendaret, atque iam tum ad æternæ vitæ tranſitum fortiter accingeretur. Loca pia in volumen ſua manu retulerat, iiſq. menſtruas aſſignauerat eleemoſynas, vberiuſq. repræſentabat Natiuitatis, & Reſurrectionis Domini feſtiuitatibus. Ieiunia item quattuor temporum, & Vigiliarum fructuoſa ſibi eleemoſinarum largitate ſemper faciebat. Pauperibusq. ſacrarum Virginum, Mendicantiumq. Religioſorum Monaſterijs oleum, vinum, Agnos, Verueces, pecuniamq. neceſſarios in vſus ſuppeditabat. Iiſdem ægrotantibus gallinas, ſaccarum, & quæ valetudo requireret, benigne ſumminiſtrabat. Comitijs eorum frequentibus, ſeu Ca-

pitulis

pitulis generalibus ampliora etiam impertiebat. Quoties ipſe carcerem Burgi, Turris Nonæ, & Curiæ Sabellæ prætergrederetur, egentibus, qui in cuſtodia, & carcere eſſent, ſtipis numerum non exiguum mittebat. Certisq. anni temporibus epulas a proximis Cauponibus ſuo ære dari iubebat. Sacerdotibus Italis mendicantibus, vnde dies aliquot ſuſtentarentur, libenter erogabat. Eoſq. deinde admonebat, vt meminiſſent loci, & dignitatis ſacerdotalis, ne quæſtum ſacerdotio indignum, quem turpiter accepiſſent, fœdius per deſidiam exercerent, ſed Altari inſeruirent, honeſtioremq. conditionem ſequerentur. Qua in re ſtudium, & operam ſuam pollicebatur. Presbyteros autem Gallos, Polonos, Tranſalpinæq. nationis quoſcunque pannoſos obuios habuiſſet, nummis vltro ſubleuabat. Redeuntes in patriam, & auxilium viæ petentes viaticó hilare proſequebatur. Rogantibus, vt quidpiam pro dotandis Virginibus, redimendis captiuis, alendis egenis, aut reparandis ſacris ædibus conferret, feſtiuam aureorum copiam numerari ab ſe iubebat, gratiasq. agebat, quod promerendi cauſam ſibi attuliſſent. Si quis pudibunde, timideve quid pro egenis peteret, aut ne peteret quidem, ne Cardinali moleſtus eſſet, ipſe hilari vultu obuiam ibat, & vltro plena manu exhibebat, caſtigata ſuauiter verecundia, aut diſſimulatione. Commendatis ſibi puellis duabus ducentos aureos per Archiconfraternitatis Annuntiatæ Præfectos dedit, ne à ſe dotem profectam ſcirent. Perſæpe decem aureos quadringentas in monetas argenteas, quadringentos in ſextertios pene dixerim commutatos a domeſtico Depoſitario ſuo accipiebat, ſuaq. manu pauperibus paruo temporis interuallo diſtribuebat, quibus etiam in Eccleſijs præberi a Decano Parafrenariorum ſuorum volebat; eundemq. admonebat, vt mendicorum importunitatem leuiter ferret, ne quem aſperioribus læderet verbis, licet vndique aduolantes immodeſte inſtarent, atque vrgerent; quod ſi nummi erogantem defeciſſent, reliquis diſcedere placide iuſſis ſtipem in alium diem polliceretur. Neque minore animi propenſione, & lagitate in defunctos extitit. Nam licet ſecunda quaque feria ſacrificium Miſſæ pro fidelibus defunctis peragendum curaret, tamen eleemoſynas eo nomine inſtituerat, Miſſaſq. varijs in Eccleſijs celebrari complures iubebat. Cum primum de Cardinalis, Principisve alicuius, aut neceſſariorum, aut

cuiuſ-

cuiuſpiam bene de ſe meriti obitu certior factus eſſet ſuffragia, & ſacrificia pro ijs vel per ſe, vel per alios habebat pro Collega ipſe Miſſam celebrabat. Centum aureos, quo die mater deceſſit, ad Religioſorum monaſteria in ſchedulam ſua manu relata tranſmiſit, qua pro anima genitricis ſuæ magnum Miſſarum numerum celebrarent: pro cuius etiam valetudine, dum ægrotaret, plerisq. in Templis, Monachorumque & Monialium clauſtris Deum, Sanctosq. quatenus tamen expediret, eleemoſynis distributis orari voluit. Formulam orandi ipſe præſcripſit, & condicione adiecta orauit. Quanta eſſet animi firmitate Siluius Cardinalis Antonianus non in morte tantum matris perferenda, & dolore tolerando, ſed pridie quam illa obiret, non obſcure oſtendit. Nam cum annum ageret ſexageſimum primum ad eius cubile acceſſit, quæ quinque, & ſeptuaginta annos nata ex humanis abire feſtinabat, humiq. ipſe ad ſanctiſſimam Ieſu Chriſti crucifixi Imagine aduolutus animam caræ matris ſolemnibus precationibus Deo conſtantiſſime commendauit. Nos elegiam in obitum illius ſcripſimus, & in Cardinalem Antonianum minime neceſſaria conſolatione vſi ſumus. Omnium quidem Ordinum Religioſos quam maxime obſeruabat, tuebatur, cumq. opus eſſet, ſtudio, & facultatibus ſubleuabat. Sed præcipua quadam veneratione S. Patris Benedicti memoriam perpetuo coluit, & quo anno Cardinalis eſt factus, nihil ſibi prius faciendum putauit, quàm vt ſublacenſe venerabundus Monaſterium adiret, verſibusq. à ſe conditis exornaret. Monachos auſterioris vitæ rationem ingreſſos ſuſpiciebat, eorum religioſas domos frequentabat, ſermonibus intererat, Deumq. orabat, vt ijſdem perſeuerantiam largiretur. Tanta erga humiles Dei ſeruos beneuolentia, & obſeruantia, adeoque ipſe humili, demiſſo, minimeq. elato fuit animo, vt cum maxime Principum virorum gratia floreret, ab omnibusq. ob ingenij, eruditionisq. præſtantiam, & morum ſuauitatem experteretur, magniſq. ob multiplices munerum curas occupationibus diſtineretur, nunquam pauperum ſeruorum Dei conſuetudinem intermiſerit, nunquam ſacras cæremonias, diuinaq. in templis miniſteria, quæ pleroſque ob factum obire pudet, deſeruerit. Nam cum alia religioſa loca frequentaret, tum præcipua quadam animi propenſione in Venerabiles Sanctæ Congregationis Oratorij Clericos ferebatur, quos Patres ſuos appellabat, vt ex

eius ad eminentiſſimum virũ Anaſtaſium Germonium epiſtolã, qui à S.D.N. Paulo V. Archiepiſcopus Tarantaſij eſt factus, ex eius teſtamento intelligi poteſt. Neque adultam modo Congregationem, & in hanc firmitatem extructo S. Mariæ in Vallicella templo eductam coluit, ſed paruis in Eccleſia S. Ioannis Florentinorum incrementis cum extolleretur, & apud ſancti Hieronymi ædem inchoata fundaretur, frequens apud eos, ter, bisve, cum minimum, ſingulis hebdomadis peccatorum ſuorum confeſſionem habebat, quotidieq. rem diuinam faciebat. Feſtiuis item diebus ſuperpelliceo indutus (vnum ex illis diceres) in Choro Veſperas ſimul canebat, Miſſaſq. ſolemnes plerumq. celebrabat. Ac niſi quid ſubiti, & impediti negotij interceſſiſſet, quotidianis eorum ſermonibus intererat, quattuorq. patribus duas horas inuicem concionantibus attente operam dabat, idque inſtitutum ad annos triginta pie, perſeueranterq. retinuit. Atque ipſe petentibus inſtanter Patribus, quamquam diu, multumq. renuiſſet, aliquando tamen exoratus de ſuperiore loco certis quibuſque diebus propoſitum ſancti Euangelij caput diſerte explicauit, populumq. ad Dei verbum audiendum certatim vndique confluentem ſententiarum grauitate, verborumq. elegantia illexit, & ad æternæ vitæ gloriam ſuauiter excitauit. Conſtituerat etiam in eorum Contubernium ſecedere, quandocunque ſuum mater obiiſſet. Quod tamen conſilium ob Clementis Papę iuſſa, & Cardinalis factus neceſſario quidem, ſed ægre mutauit. Operæpretium eſt cognoſcere cum Deo agendi quotidianam eius conſuetudinem. Mane vbi experrectus eſſet; precationes in lectulo complures recitabat. E cubili ſurgens in genua procumbebat, terramq. ter exoſculabatur, & Deo immortali gratias agebat, quod in lucem ſaluus perueniſſet; eundemq. obſecrabat, vt per diem nihil, niſi quod diuinæ congruum voluntati eſſet, vnquam quæreret. Deinde horas Canonicas primam, & Tertiam, pſalmoſq. ad Miſſam præparatorios, quæq. ſequuntur ad id ſpectantia proferebat. Mox ſe reconciliaturus orabat. Quod inſtitutum nunquam omiſit. Quotidie confitebatur humi genibus incumbens, capite demiſſo, & toto corpore incuruato gemens, plorauſq. ſacerdotis abſolutionem excipiebat: minuta quæq. peccata grauia iudicabat, quod ex ſententia ſancti Gregorij diceret Nugas in ore ſacerdotis eſſe blaſphemias. De

Cardinalis Antoniani confitentis conſcientiæ diligenti examine ; humilitate, dolore, & contritione multa teſtantur ſapientiſſimi ſacerdotes D. Theophilus Sebaſta, & Ioſephus Dominicus. Admonitus altare inſtructum eſſe, e cubiculo progrediebatur, & antequam in ſacellum ingrederetur, ſubſiſtebat, vt quicunque adeſſent ; conuentumq. ſe vellent, benigne, attenteq. audiret, omnibusq. humanitate, & caritate ſatisfaciebat. Quia in ſe humanitatem deſiderari ſuam nunquam eſt paſſus. Quod ſi quis apud illum de ſuorum ſuperbia expoſtulaſſet, quod pridie per eos ſtetiſſet, quominus Cardinalis adeundi copia ſibi facta fuiſſet, continuo ſuos caſtigabat, ne quid in poſterum tale accideret. Cum per ſudum liceret ; præſertim Sabbato in vna ex Eccleſijs B. Mariæ dicatis ſacrum faciebat, addita Eleemoſyna, quod & in ceteris Eccleſijs ſemper fecit ; Optimi rem exempli eſſe affirmabat, ſi ſæpe Cardinales publice operarentur. Tanto autem Ipſe animi pio in Deum affectu quotidie ſacrificauit, vt complures veriuſq. ſexus fideles magna veneratione mentisq. intentione ſacrificanti operam dederint, & peracto ſacrificio ad tanti Myſterij meditationem, & Domini memoriam magis, ac magis ſint excitati. Ipſe vero in reditu per viam, aut ſi domeſtico in Sacello ſacrificaſſet, in cubiculum reuerſus cum ſuis ſacerdotibus, qui cappellani vocantur Sextam, Nonamq. & reliquas de more preces abſoluebat, deinde aures ijs, quam leniſſime tradebat, qui eo quidpiam agendi cauſa conceſſiſſent, atque in horam vſque prandij negotijs conficiendis, aut Breuibus Apoſtolicis conſcribendis vacabat. Si occupationibus careret, ad librorum conſuetudinem confugiens legebat. Nunquam otioſus fuit, cum otium eſſet. Vbi per hiemem ſedendo frigus collegiſſet, a lectione ſurgens, inambulansq. tertiam Roſarij, cui ſemper deuotus fuit, precabundus partem percurrebat. Reliquum diurni officij Veſperas ſcilicet, Completoriumq. pomeridianis horis abſoluebat. Prima quaque menſis Dominica familiares omnes ſuos volentes quidem ab ſe communicare, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſumere ad innocentiam adhortatus, quo liberet, Eccleſias ſalutatum dimittere conſueuerat. Cum ex ædibus in apertum relaxandi animi, & corporis exercendi gratia progredetur, non hortos, aliave amœniora Vrbis loca, ſed ſacras Baſilicas, & templa reuerentiſſime inuiſebat. Mos ei fuit, vt Nocturnam diuini officij partem ſub noctem

inchoaret, pſalmos, lectionesq. diſtincte, clare, ſuauiterq. ſiue cum ſummo Pontifice, ſiue cum ſuis, alternatim proſequeretur, quotidieq. multis ab inde annis, paruum Beatæ Mariæ, & plerunque defunctorum officium adiunxit. Litanias quoque ad Sanctorum opem implorandam quotidie cum ſuis familiaribus priuſquam cubitum concederent, iterauit. Hieme in multam noctem lucubrabat. Poſtremo humi proſtratus peccatorum ſuorum veniam elatiore voce à Deo precibus petebat, orationibusq. permultis habitis quieti ſe tradebat. Nemini vnquam obfuit, neminem prudens læſit. A quibus ipſe læſus fuiſſet eos, vt aliquando, cum facultas eſſet, vlciſceretur, adduci nunquam potuit. Iniurias diſſimulauit, & magno animo pertulit. Pij Quarti Pontificis Maximi, & Caroli Cardinalis Borromæi familiares, quod tantæ maieſtatis principibus ob morum candorem, ſuauitatemq. & ingenij, doctrinæq. miraculum eſſet acceptiſſimus, homini prorſus innocenti palam inuidere, obſtare, detrahere, machinari, & moliri ea, quæ ille ferre cum minime poſſet, aut ſponte miſſionem peteret, aut per iracundiam quid perpetraret, quo inhoneſte mitteretur. Verebantur enim ambitionis, & auaritiæ ſtimulis incitati, ne præteritis amicis vetuſtioribus is, qui nuper in familiaritatem, & clientelam receptus eſſet, reditibus, & honoribus Eccleſiaſticis augeretur. Ademptum denique, & ereptum ſibi quidquid Siluio daretur, conquerebantur, & dolebant inuidi, & maleuoli. Horum inuidiam, ſi placare non poſſet, declinare certe conabatur. Quare vbi Cardinalis Borromæus miſiſſet, qui Siluium accerſeret, vt vna pranderet, ſimulauit ſe iam prandiſſe. Quod vnde hoc proficiſceretur, ſuſpicatus Borromæus, omnibus ſuis audientibus, ito, inquit, edic Siluio, ne cœnet ſolus, lautius, & ſplendidius mecum cœnabit. Aedes in Apoſtolico Palatio Siluio datas quidam ex potentioribus Principis amicis, cuius famæ parcitur, ademerat, quod diceret ſibi eſſe neceſſarias. Ille nihil expoſtulans ad matrem migrauit. Forte accidit, vt nocte prope intempeſta Princeps Siluium ad ſe vocandum curarit. Renunciatum eſt abeſſe. Poſtridie Princeps Siluium obiurgauit, quod foris aduerſus edictum ſuum pernoctaſſet. Siluius iniuriam diſſimulauit. Culpam in ſe deriuauit, excuſatus maternam pietatem, apud quam noctu commoraretur. Vbi vero Pontifex ex neſcio quo familiari ſuo cognouit aliter ſe rem habere, admiratus hominis

patien-

patientiam, animumq. vltionis minime cupidum, ædes ampliores, ſibiq. propinquiores Siluio attribuit. Si cum cerebroſo iracundo, inſolentive agendum eſſet. Tacite ſecum ſic ratiocinabatur, mihi, & iſti ſapiam oportet. Pudicitia fuit tanta, vt ſiquæ feminæ quidpiam rogandi gratia eum adiſſent, rubore ſuffunderetur, oculiſq. ſolo defixis ad matrem, vel cui hoc negotium dederat, eas reiecerit. Continentia quoque fuit tanta, vt Religioſiſſimus Pater D. Theophilus Sebaſta teſtetur Cardinalem Antonianum, neque Corporis, neque mentis virginitatem amiſſe ſibi videri, quantum ex diuturna eius conſuetudine, & familiaritate intrinſeca conijcere potuerit. Verbis eius vſus ſum, & quo res ſit teſtatior, appingam reliqua. Vitæ, inquit, puritate tanta, quoad vixit, extitit, per multos annos, quibus in foro pœnitentiæ ſacramentalis eius conſcientiam notam habui, præter humilitatem, atque exquiſitam cum ſimplicitate ſuorum defectuum accuſationem exhibitam (verum fateor) vix materiam abſolutionis dederit, nec lethali culpæ vnquam obnoxium agnouerim. Vitia ad tempus diſſimulata, aliquando eruptura nulla vnquam in eo quiſquam animaduertit, quamquam ab omnibus obſeruaretur. Vixit in luce, & Principum conſpectu. Aduerſarios, æmuloſq. habebat plurimos. Ab adoleſcentia ad ſenectam eundem vitæ tenorem ſeruauit. Virtutibus ſemper ornatus recte viuendi inſtitutum ſemper retinuit. Temporum viciſſitudines, rerum commutationes, ſpes irritas forti animo non ſemel eſt expertus. Iulij Tertij paternam caritatem breui deſiderauit. Herculis Ferrariæ Ducis benignitatem paruo temporis interuallo amiſit. Pium Quartum mortuum luxit, cum ab eo magna ſperare iuberetur. Affulſerat præmiorum ſpes ſumma Gregorio decimoquarto Pontifice maximo renunciato, ſed paucis menſibus cum ipſo Pontifice eſt extincta. Hieronymum Badeſium ſummi ingenij adoleſcentem, quem ad virtutum laudem eduxerat, cum maxime floreret, extulit. Neque minore fortitudine parentum mortem tolerauit. Quod proſperiore interdum rerum curſu vteretur, Elatioris animi, geſtientiſq. lætitiæ ſigna nunquam dedit. Superbiam, faſtum, arrogantiam, tamquam immaniſſimas feras abominatus eſt. Dignitatis auctoritate non ad inſolentiam, & alienam deſpicientiam, ſed ad afflictos, oppreſſoſq. ſubleuandos, & bonos ornandos ſemper eſt vſus. Modeſtiam & ipſe perpetuo coluit, & ſuos do-

docuit, Oſtentationem vitauit, fugiendamque alijs propoſuit. Multa & magna varijs in locis donaria inſtituit. Templa reparauit, Sacella excitauit; Rubieram, quæ templo S. Catharinæ vſui eſſent, quot annis mittebat quum diceret ex dotalibus fructibus debere ſe ſponſæ ſuæ ornamenta præſtare. de Eccleſia Montis Viridis reſtaurata ſupra ſcripſimus. In oppido Itri diœceſis Caietæ Eccleſiam Sancti Antonij profanos in vſus Commendatarij negligentia conuerſam, & euerſam exædificauit, ſacroq; inſtrumento inſtruxit. Epiſcopo Caietæ ſupra quingentos aureos in reparationem Hoſpitalis, & Balneorum ſancti Antonij impendendos tranſmiſit. Præceptoriam ſancti Antonij fundorum vectigalem ſibi numquam duxit. Nam quidquid inde perciperetur, in eius Præceptoriæ ſacrarum ædium reſtaurationem, & ornatum, in altarium cultum; in ſacram ſuppellectilem, in eleemoſynas pauperibus varijs anni temporibus, ſingulisq. Dominicis diſtribuendas, & dotandas puellas exhauſit. Aiebat enim Beneficia Eccleſiaſtica eſſe ſanguinem Martyrum, peccatorum Redemptionem, Piorum hominum oblationem: ad cultum diuinum, ſanctorumq; memoriam recolendam; & pauperum ſuſtentationem, ſeq. Depoſitarium profitebatur.

Ex Auguſtini Cuſani Cardinalis optimi teſtamento legatum quingentorum aureorum agnouit, & in Sacelli ſui dotationem collocauit, eodem contulit ducentos aureos, quos ijs, qui ſancti Raymundi Canonizationem procurabant, acceptos tulerat. Præter prædium Tuſculanum ſuum quod multis ante annis dotis nomine Sacello dederat. Sacellum autem in Eccleſia, quæ cognomento noua appellatur, Sanctæ Mariæ in Vallicella, & monumentum, quo inferretur, pro facultatum tenuitate, cum priuatus eſſet, conſtruxerat; vt ex eius inſcriptione cognoſcitur.

SILVIVS. ANTONIANVS
PRESBYTER. ROMANVS
SACELLVM. ORNAVIT. LOCVM
SEPVLTVRÆ. DELEGIT.
ANN. D. M.DLXXX.

Quod Cardinalis altero & viceſimo poſt anno ampliauit, varijs leuigatisq. marmoribus, picturisq. exornauit, & rebus omnibus

quæ

quæ ad Altaris cultum, ſacroſanctiq. Miſterij celebrationem ſpectant ſplendide comparatis. Nos Sacelli deſcriptionem verſibus, quos ad illum de matris obitu dolentem ſcripſimus, ſumus complexi. Ipſe opus inſcripſit.

SILVIVS. ANTONIANVS
S. R. E. PRESB. CARD.
SACELLVM. TRANSLATVM.
DECENTIVS. ORNAVIT.
ANN. SAL. MDCI.

Sed & tribus ante Cardinalatum annis de ſepulchro, & morte cogitare ſe diuitijs, & honoribus valere iuſſis reſcripſit ad R. P. Iuuenalem Ancinam, qui aliquot poſt annis factus eſt ſalutis Epiſcopus, quiq. in vinea Domini laboribus fortiter exhauſtis pie deceſſit. Antoniani Epiſtolæ extremum verba hæc ſunt. Omnia a te, ſiue ſerio agas, ſiue ioceris iucunda. Ego vero nec tibi, nec amico cuiquam compedes, & carcerem optem, quamuis aureos, aut auleis ornatos. Sed heus tu, de receſſu cogitandum eſt. Mors autem vellicat. Mihi ad Vallicellam parata eſt domus. Tu pro fratre ora, vt eluto eripiatur, non vt infigatur. Vale.

Hanc vitæ rationem ab adoleſcentia ſingularis Dei beneficio Siluius Antonianus B. P. Philippo Nerio Duce ingreſſus Cardinalium quoque perfectiorum Sirleti, Paleotti, Cuſani, & Veronæ conſuetudine diutius excoluit. Domeſticum in primis virtutum omnium, & ſanctitatis exemplar Beatum Carolum Borromæum ſortitus eſt. Apud illum ſapientiſſimorum cœtus virorum haberi cœptus, nihil in Philoſophia reconditum, nihil in ſacris libris abditum, quod in lucem, vſumq. non exprompſerit, atque expoſuerit. Nemo non cenſuit res aduerſas æquo, fortiq. animo ferendas pericula intrepide ſubeunda, opes, honores, potentiam contemnendam Deum bonorum omnium auctorem colendum, adorandumq. Sanctos ſuſcipiendos, inuocandosq. templa erigenda, reſtauranda, & exornanda. Ieſu Chriſto Redemptori ſub pauperum perſona facultates impendendas ignaros erudiendos, omnibus exemplum, & auxilium præbendum. Cœtui Academiæ nomen inditum. Diſputationes, quod per hiemem noctu in Vaticano haberentur, noctes Vaticanę appellare

Ijs non interfuit modo Siluius, ſed interdum præfuit, quòd Academiæ Secretarius, & Princeps fuerit. Multa, & magna ex earum rerum, quas commemoraui, explicatione in vſum ſuum plura, & maiora ex vnius B. Borromæi caſtitate, temperantia, innocentia, & eximia in Deum, & proximum caritate percepit. Ex hoc fonte quæ recenſuimus, deriuauit. Inde hauſit, etiam Epiſcopos, Cardinalesq. non elingues eſſe oportere, ſed populum ſibi creditum, ore proprio ad iuſtitiam informare. Quod Cardinalis Antonianus in templo ſancti Saluatoris in Lauro tituli ſui quotannis magno cum audientium fructu fecit. a. Clemente Octauo Pontifice maximo iuſſus in Apoſtolico Sacello ſermonem habuit. Ex dicentis ore aureum eloquentiæ flumen effluebat. Sermo eius nitidus, elegans, vox ſuauis, clara; actio venuſta. In oratione præſertim latina nullum verbum, quod ab Eccleſiaſtici conſuetudine ſermonis alienum eſſet, adhibebat. Qua in re mirifice cum ſanctis Ambroſio, & Auguſtino ſentiebat. Ego illi libellum de Diui appellatione vitanda meum facile probaui. Iudicio fuit acerrimo, quo viri plerique doctiſſimi in emendandis, quæ ſcripſiſſent, vſi ſunt; in primisq. Auguſtinus Valerius Cardinalis Veronæ, & Cæſar Cardinalis Baronius. Eruditione multiplici, & rerum cognitione antiquarum cum Gentilium, tum Chriſtianorum ſuperiorem habuit neminem.

Opuſcula ſcripſit complura, quæ non edidit, vt per litteras ex Tuſculano mihi ſignificauit; teſtaturq. vir doctrina & moribus ornatiſſimus Flaminius Ceraſola, qui à ſtudijs, & iuris conſultationibus Antoniano fuerat, in ijs opus de ſtilo Eccleſiaſtico, & de Primatu Petri, & alia, quæ recenſere, atque edere cogitabat. In Catechiſmo, qui ex Concilij Tridentini decreto Pij Quinti iuſſu editus eſt, complures Theologi, & diſerti viri conſcribendo elaborarunt. Antoniano ſymbolum, aut certe ſymboli partem explicandam obtigiſſe Lælius Paſqualinus vir grauiſſimus mihi confirmauit, quod & ipſe in aduerſarijs eius reperi. Fuerat quidem eius inſtituti, vt quamplurima ſcriberet, nihil fere ederet, ſed Ceraſolæ affirmanti credo Cardinalem Antonianum ſcripta ſua per otium expendere, & ſelecta typographis imprimenda tradere decreuiſſe. Quod non longe abeſt ab ijs, quæ in hanc ſententia ex Tuſculano ad me ſcripſerat. Librum de educatione Chriſtiana, quem iuſſu B. Caroli Cardinalis ſanctæ Praxedis ſcripſerat, Veronæ imprimendum mandauit Au-

guſtinus Valerius eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus, qui S. R. E. Cardinalis fuit. Scripta eius magno cum ſtudioſorum damno adhuc ſupprimuntur. Propinquos, neceſſarios, familiares, quos penes occuluntur, oratos velim, ne optime de litteris meriti Cardinalis Antoniani monumentis poſteritatem fraudent. Si litteræ Sacri Cardinalium Collegij nomine ſcriptæ, ſi Breues Apoſtolici, qui appellantur, in lucem prodire (vt ſpes eſt) permittentur, exemplum latine ſcribendi gentiliſmo excluſo Magiſtri Epiſtolarum, qui ſecretarij vocantur, perfectum nanciſcentur. Mitto poemata edita, quæ varij in auctorum libris ſparſim ſunt excuſa, quæq. adoleſcens luſit Heroica ad Cæſarem, & de Italiæ calamitate cum alijs non impreſſis. Mitto Orationes de ſcientiarum, & eloquentiæ laudibus, quas Ferrariæ habuit, quamq. Romæ ad Pium IV. Pont. Maximum ipſo die Cinerum. Mitto Epiſtolas, quas ad Terentium, & ad fabellas Faerni, atque ad amicos elegantiſſime ſcripſit. In vtraque enim facultate adeo excelluit, vt cum Vergilio, & Cicerone in ipſa adoleſcentia certare videretur. Forma fuit decora. Statura breui quidem, ſed quæ non facile animaduerteretur. Corpore gracili, capillo ſubflauo ad ſenectutem vſque barba eiuſdem coloris ſpiſſa, tonſa, non promiſſa, quæ ad tertium, & ſexageſimum annum minime caneſcere videretur. Oculos in pueritia nigros, fulgidosq. habuit, qui acumen, celeritatemq. ingenij facile indicarent, vt ex decennali Siluij efficie cognoui, quam coloribus expreſſam oſtendit mihi eius ſoror vnica Franciſca, apud quam altera eſt effigies, quæ annum à Natiuitate Domini M. D. LVIII. in orbem notatum habet; in ea Siluius Antonianus legitur, & ſpectatur barbatulus. Conſtat ſane ſexdecim annos nato mentum barba conueſtiri cœptum. Viſum hebetiorem ſub ſenectutem, procul ſemicluſis, conniuentibusq. prope oculis ſpectabat, longius autem ſi proſpiciendum eſſet, aut obſcuriore loco minutæ litteræ legendæ, Vitreos Orbiculos oculis admouebat. Naſum à ſummo eminentiorem, ab imo deductiorem; aures item mediocres, frontem exporrectam; dentes candidos, & firmos, qui neque diſtillatione vnquam, neque ſenio detrimentum acceperant. Vultu nunquam non tranquillo, & ſereno eſt conſpectus, & eo nomine à Clemente Pont. Max. commendatus eſt, alios ipſe inſtituebat, vt eodem vultu Patronos ſuos adirent. Valetudine ad obeunda

munia, lucubrandumq. proſpera ſemper eſt vſus. Ferrariæ tamen adoleſcens quartana laborauerit. Romæ item iuuenis parum abfuit, quin morbo extinctus fuerit. Narrauit mihi vir miræ pietatis, atque eruditionis Lælius Paſqualinus Siluium, ſimulatque conualuit, affirmaſſe bene ſecum actum fuiſſe, ſi eo tempore obijſſet, quod metueret, ne in ſenectute pari firmitudine migraret e vita. Anno etiam M. D. XCI. grauiſſime ægrotauit. Cardinaliū Palæoti, Veronæ, Hyppoliti Aldobrandini, Cuſani, aliorumq. celebritatem ad lectulum, Gregorijq. XIV. Pont. Max. benignitatē æger nō deſiderauit. Ingreſſus LXIII. ætatis annū imminere ſibi mortē, eo ipſo anno ad Scipionē Aloandrum, & ad Epiſcopum Fundorū ſcripſit. Idem cum amicis ſuis perſæpe dixit, ſiue ex anni Climaterici maleficio, quem afferre necem, calamitatemq. Corporibus, animiſq. conſueſſe veteres obſeruarunt, ſiue illius animus id præſagiret, & ex Viſo ipſe accepiſſet. Tranſitus expectatio in tertium, & ſexageſimum annum adeo ſollicitum Cardinalem Antonianum habuit, vt in dies ſingulos à ſuis quæreret, num ſponſa ſua eſſet ornata, & domus exædificata, cum Sacellum exornari, inſtruiq. & ſepulchrum perfici, quamprimum iuberet, idq. quotidie vrgeret, apudq. venerabilem ſacerdotem Ioſephum Dominicum generalem peccatorum totius vitæ confeſſionem, eo ipſo anno inſtituerit, & paucis diebus abſoluerit, deq. morte crebro ſit loquutus. Menſe igitur Iulio adulto valetudinē contraxit ex ingentibus curis, occupationibusq. Sedis Apoſtolicæ cauſa ſuſceptis, meditatione præſertim grauiſſimarum rerum, ad quas Principis nomine reſcribendum erat, noctes aliquot inſomnes actæ, dieſq. Breuibus Apoſtolicis conficiendis laborioſe conſumpti. Simulac decubuit confeſſus, religioſe Sacram Euchariſtiam ſumpſit, ſeq. ad iter obeundum accinxit, fortiterq. cum caloribus, & temporis, & febris maximis pugnare cœpit. Eius menſis ſeptimo & vigeſimo die teſtamentum condidit. Morbum lethalem, vel certe periculoſum ſtatim pronunciauit Marſilius Cagnatus medicinæ peritiſſimus, & per ſingulos dies obſeruauit. Negligentia eorum notata, qui primis diebus obuiam valetudini non iuerunt. Eiuſdem ſententiæ fuit Rodulphus Silueſtrius doctrina & medēdi vſu præſtantiſſimus. Faciem & vniuerſum ferè corpus occuparunt maculæ quædam ardentes, quas Medici Arabes, Eſſaras, Romani recentiores Roſo-
liam

liam pueris peculiarem morbum appellant, febris alternis diebus redibat, ſub acceſſionem rigor frigoris vehemens, obliuio, mentis alienatio, animi deliquium. Kal. Auguſti die ſancti Petri Catenis Sacro licet iteratis ardoribus exæſtuaret, tamen inſtituti ſui minime oblitus ſolemne familiaribus donatiuum dedit, Coquo duplum aſſidue ad ignem ſudanti, quod cibos, & iuſcula die, nocteq. languenti pararet. Clemens tantæ Maieſtatis Princeps ægrum adiuit, Amplexusq. paterno affectu, & exoſculatus bene ſperare iuſſit, ratumq. ſe habere dixit, quidquid teſtamento diſpoſuiſſet. Clementem Antoniani valetudo valde torſit, quod in illius virtute, ſcientia, ſedulitate, & fide onus officij ſui reclinaretur. Inualeſcente demum vi morbi, quem ſumma patientia tolerauit, conſumptisq. viribus animo inſurgens Deum laudabat. Ieſum Chriſtum Dominum Dei filium adorabat, Beatiſſimam Virginem Mariam Dei matrem, ſanctos Patronos, Angelumq. cuſtodem ſuppliciter inuocabat, per ſeptem, & viginti dies acerbiſſime vexatus de doloribus ſuis parum, de familiarium vigilijs, laboribusq. in ſe curando multum conqueſtus eſt. Aſſumptionis Beatæ Mariæ feſto viatico ſacratiſſimi Corporis Chriſti accepto, extremaq. ſancta vnctione delibutus, & à ſanctiſſimo Papa ſui Amantiſſimo benedictione donatus poſtridie migrauit ad Dominum in ædibus ad ſanctum Marcum ſub ſolis ortum xvij. Kal. Septembris MDCIII. Ad Pontificem Max. acurrerunt Petrus Paulus Ennius, & Ambroſius nuntium non iucundum afferentes, quibus inſpectis Clemens quid eſſet diuinans fleuit. Re comperta gemitum dedit, nihil ſibi accidere damnoſius potuiſſe conqueſtus homines plorantes conſolatus, ad curandum, ornandumq. mortui corpus dimiſit. Suis præcepit, vt exequiarũ honores Cardinali defuncto quam ampliſſimi haberentur. Cadaueri venter exectus. Inteſtina inſpecta. nihil indicij repertum. Pulmones tantum exſiccati, & nigricantes, fellis perpuſillum apparuit. Ad corpus ſacris veſtibus indutum, ſublimiq. toro collocatum in templo ſancti Marci à Cardinalibus Defunctorum officium habitum. ſub veſperum funeri opera data. Corpus elatum cæreis centum accenſis præcedente Cleri pompa, proſequentibus, atratis familiaribus, & tota Pont. Max. Aula, ſtipantibusq. hinc inde Prætorianis militibus, & agmen, claudentibus leuis armaturæ equitibus Pontificijs. Illatum in Eccleſiam S. Mariæ in Vallicella

humatum in Sacello Natiuitatis Domini. Clemens in Conſiſtorio obitum Cardinalis Antoniani, iacturamq. irreparabilem deplorauit. Adeuntes ad ſe vniuerſos eius familiares benigne alloquutus, eſt: Optimos, inquit, eſſe vos oportet, qui ab optimo Cardinale inſtituti eſtis, nihil igitur eſt, quamobrē vereamini, quin bonis omnibus iucundi ſitis. Nos quæ veſtris commodis opportuna eſſe intelligemus, quodq. petitis, libenter efficiemus. Generos ſororis eius tanto caſu conſternatos, & ad ſanctiſſimos pedes accidentes dolendo pariter, & conſolando ſubleuauit. Idem Franciſcæ Antoniani Cardinalis Sorori Sportulam, quam quotidiani victus partem appellant, ex Apoſtolica Cella, quoad ipſe vixit, præberi & Paulus V. Pontifex Maximus continuari pari benignitate iuſſit. Martium Malacridam ſtrenuum, & fidelem in arduis pro Sede Apoſtolica apud Polonos negotijs expertus in demortui locum Secretarium Breuium ſecretorum ſuffecit. Auguſtinus Valerius Cardinalis Veronæ ad Nuncium de Cardinalis Antoniani obitu allatum, neque luctum, neque planctum inhibere potuit. Iuſta illi funebria quam apparatiſſima Veronæ fecit. Eodem officio Romę ſunt functi Canonici S. Petri, Monachi S. Benedicti in templo S. Pauli, item S. Saluatoris in Lauro Tituli ſui, & S. Congregationis Oratorij Patres.

Teſtamentum recitatum eſt.

HEredes inſtituit ex triente in gratiam Ieſu Chriſti duodecim ſanctas pauperum, & Religioſorum Sacerdotum & Virginum, puerorumq. domus. Ex altero triente vnicam ſororem ſuam Franciſcam, ex tertio familiares ſuos. Bibliothecam ſanctæ Congregationis Oratorij Patribus legauit. Inſtrumentum Capellæ Cardinalitię Patriarchalibus Baſilicis, Titulo ſuo, & Sacello ſuo, Eccleſijsq. quas adminiſtrauerat, diſtribuendū arbitrio Cardinalium Baronij, & Aldobrandini. Sororis filiabus Plautillæ, Catharinæq. earumq. coniugibus Paternam benedictionem reliquit, nepotibus autem amoris monumentum legauit pollubrum & vrceolum argēteum Triuulto Gualterio, quatuor item argentea Candelabra cum forpice emunctoria Theodoro Attio, quę omnia ipſe a Cardinale Aldobrandino munificentiſſimo dono acceperat.

Nomina

Nomina eorum, ex quorum Commentariolis Vita Siluij Cardinalis Antoniani eſt Concinnata.

Epiſcopus Fundorum { Ioannes Baptiſta Comparinus.

Presbyteri Religioſiſſimi. { Flaminius Riccius S. Cõgregationis Oratorij Rector. D. Theophilus Sebaſta. S. Andreæ Clericorum Regularium Præpoſitus. Ioſephus Dominicus Proparocho Sancti Petri. Paulus Aemilius Petruccius.

Viri ſpectatæ fidei. { Petrus Paulus Ennius. Ambroſius Baccicalupus.

Ex orationibus ipſius Siluij Antoniani Ferrariæ, Romæq. habitis.

Prætermiſſa.

Alexander Burgius ſingularis eruditionis, & pietatis Epiſcopus Burgi S. Sepulchri narrauit mihi Siluium Antonianum Innocentio Nono Pontifice Maximo Congregationis Illuſtriſſimæ, in qua de Reformatione apud Gabrielem Palæotum Cardinalem ampliſſimum agebatur, Conſultorem primarium ſententijs, & dicendis, & in volumina referendis iudicij, doctrinæ, atque elegantiæ ſpecimen præbuiſſe. Ab eodem Burgio accepi, Siluium in ipſo adoleſcentiæ flore caſtimonia, pudicitia, & pietate tanta extitiſſe, vt omnibus admirationi, & exemplo eſſet. Ipſumq. Herculem Ducem Ferrariæ potentiſſimum vſurpare ſermonibus ſolitum, ſe, ſi quid a Deo obſecrationibus innocentis, caſtiq. cuiuſpiam contenderet, ad Siluium vitæ puritate, & innocentia puerum Deo acceptum confugere conſueſſe. Hæc, & maiora etiam de ingenio, ſtudio, & pietate Siluij ſe cognouiſſe Ferrariæ, in Comitatu Clementis Octaui Papæ cum eſſet Burgius, proxime mihi affirmauit.

Nomina

Nomina eorum, ex quorum ſermonibus, litteris, & libris in Cardinalis Antoniani vitam non nihil translatum eſt.

Franciſcus Maria Cardinalis Taurufius.
Cæſar Cardinalis Baronius.
Robertus Cardinalis Bellarminus.
Ludouicus Torres Cardinalis Montis Regalis.
Alexander Burgius Epiſcopus Burgi S. Sepulchri.
Iuuenalis Ancina Epiſcopus Salutij.
F. Angelus Rocca Camers Epiſcopus Tagaſtenſis Apoſtolici Sacrarij Præfectus.
Ioannes Matthæus Ancina Congregationis Oratorij Presbyter.
Aloyſius de Ponte Canonicus Patauinus.
Arnolfus Raynalduccius ex Canonico S. Petri annos natus quattuor, & octuaginta.
Lælius Paſqualinus Canonicus S. Mariæ Maioris.
Camillus Capilupus Protonotarius Apoſtolicus.
Bartholomæus Riccius.
Speronus Speronius Patauinus.
Paulus Manutius.
Benedictus Varchius.
Ludouicus Caſteluetrius.
Hieronymus Ruſcellius.
Laurentius Frizolius.
Rudolfus Silueſtrius Medicus.
Flaminius Ceraſolus Sacræ Theologiæ, & V.I.D. & Subdiaconus Apoſtolicus.
Paulus Tegius vir doctiſſimus, & maxime pius.
Carolus a Baſilica Petri.

Ex

Ex Epiſtola R. P. Iuuenalis Anine Congreg. Oratorij Presbyteri, qui Salutij Epiſcopus fuit, ad Siluium Antonianum Apoſtolici Cubiculi Magiſtrum.

COmpedes ſane aurei tui ſunto, inſuper & gemmei, cum & coruſcantibus gemmis plane dignum coronari caput, ne ſtellis dixerim, geras. Ego illos non pertimeſco, vt pote obſcurus homuncio dignus latebris in Vallecula degens, ſordens lucerna, & ſub modio fumigans. Tu vero ſplendens lucerna perfulgentes radios quaquauerſum euibrans, in monte iampridem Vaticano ſcilicet, mox etiam ſuper aureum Candelabrum ponenda. De receſſu quod mones, optime id quidem. Optima enim Philoſophia, mortis meditatio. Atqui ſtrenuo militi e Caſtris non excedendum Imperatoris iniuſſu. Mihi potius iſthæc relinquenda, cui totum iam pene canis perfunditur caput. Velimus, nolimus, ſeneſcimus, atque idcirco mors mihi quotidie proforibus expectanda. Vale pater mi optime, pater ſuauiſſime, pater mi dulciſſime Silui præſidium, & dulce decus meum. Oremus vterque inuicem, vt ſaluemur. Sit & Dominus tecum ſemper. Amen.

Errata ſic corrigenda.

Pag.	lin.	Errata.	Correctio.
2	23	quæ	que
	27	aliquos	aliquot
3	37	Trucſeſio	Tricſe
4	16	Antiochia	Antiochiæ
5	5	maximo	Maximus
	21	quinto	quinquageſimo - quinto
11	37	mouenti	monenti
18	37	plores	plures
20	6	cuiuſcunq.	cuiuſq.
	31	quærimoniæ	querimoniæ
	36	ijs	is
24	8	accepiſſent	occepiſſent
25	5	qua	quo
	18	vti	vſi
	34	factum	faſtum
26	2	ea	&
	22	ſuum	diem ſuum
31	12	ſalutis	Salutij
	14	extremum	extremæ
	30	ſuſcipiendos	ſuſpiciendos
32	35	ſententia	ſententiam
41	19	fuere	ſuere
	20	contigerint	contigerit
44	11	crudelæ	credulæ
45	1	ſi	ſe
	17	miſereris	mereris
46	14	cauia	cauſa
	15	diuerſoriosú	diuerſoliolum
	27	ſint	ſint.
50	10	vter	vterus
	16	videre	videri
55	11	concoſſam	conceſſam
	14	intromitteret	intromittere
58	14	que	neque
59	42	noſtræ	noſtri
64	10	gradiorum	grandiorum
65	6	œcomiam	œconomicam
69	5	ſcimus	ſimus
87	23	excitari	excitati
	31	graui	graue
88	32	Procuratrix	procreatrix
103	4	tam	tanta
114	36	examinati	examinari
119	24	illud quid	illud quidem
124	37	perinle	perinde
128	30	orationes	orationis
135	24	tam punitos	tam muuitos

DO-

DOCTISSIMORVM VIRORVM teſtimonia,& iudicium de Siluio Antoniano adoleſcente.

Ex Pauli Manutij ad Siluiam Antonianum Epiſtola Ferrariam ſcripta.

SED videlicet, affingere veritati, vobis poetis religio non eſt; idq. facitis libenter, ne conſuetudine intermiſſa, quodam modo veſtra iura minuatur. me tamen, ſi poetice ſcribis, artificium tuum, ſin, vt ſcribis, ita de me ſentis, error etiam delectat. Hæc enim me tibi commendat opinio, & amorem augeat, neceſſe eſt; foris etiam, vt ſpero, fructum pariet. Nam meis laudibus, tuo commoti teſtimonio, quem excellere ingenio, florere magnorum Principum gratia conſtat, non pauci fortaſſe aſſentientur. Quod vtinam, id quod in meis conſilijs erat ſummum, Ferrariæ mihi viuere, Principiq. egregio, & optimo Cardinali Hippolyto Eſtéſi in illa nobiliſſima præclaris referta viris aula, operam nauare per valetudinem licuiſſet. Næ ego te, ſingulari virtute adoleſcentem, ita meis ſtudijs, & officijs eſſem complexus, vt nemini prorſus tuorum familiarium, ne Riccio quidem ipſi, apud quem filij locum obtines, in te amando concederem. Quid, inquies, ſi te, depulſo morbo, confirmares? Vtinam id aliquando eueniat. Sed id quidem ſperare iam vix audeo. Iaceo enim nunc, & langueo miſerrime, nec mihi cæli mutatio profuit, nec nouis remedijs locus eſt, quæ iam omnia fruſtra conſumpſi. Vno tamen bono mea mala compenſantur, quòd etſi vires corporis magna ex parte, ingenium tamen qualecunque eſt, vis morbi minime debilitauit, aut fregit. Itaque ſingulis noctibus aliquid ſcribo, aut legenti puero aures præbeo. Sic aſſequar fortaſſe, vt qui me non vident, carentem publico, & communi luce, viuere tamen intelligant, atque ita viuere, ne quando cum alijs plane totus extinguar. Tu fuere, optime Silui, iſta valetudine, & iſto otio; cum illa tibi naturæ munere ſatis firma contigerint, hoc habeas tui Principis liberalitate vberrimum. Vale. Venetijs. MDLIIX.

Dal Capitolo ſettimo del modo di comporre del Ruſcelli à cart. 102.

ET per non ritornare à dietro co i tempi, & con la fede, habbiamo al preſente, viuo, & in eſſere appreſſo i miei Illuſtriſſimi, & Eccellentiſſimi Signori da Eſte in Ferrara M. Siluio Antoniano, il quale da già due anni al paſſar della Sereniſſima Regina di Polonia fù in Venetia con l'Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Cardinale di Ferrara; & eſſendo ancor fanciullo, che ſicuramente non arriuaua a i ſedici anni, fù veduto, & vdito alla preſenza di S. Maeſtà, & più volte in caſa del detto Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo ſuo Signore, & de gli Illuſtriſſ mi, & Reuerẽdiſsimi d'Anguſta, & Triuultio, & d'altri perſonaggi cantar ſopra la lira, ò ſopra il liuto, & con infinita gratia di voce, di volto, & di maniere facendone ſtanze d'ottaua rima all'improuiſo ſopra qual ſi voglia ſoggetto, che gli fuſſe propoſto. Et non ſolamente le parole erano puriſſime della lingua conueneuoli col ſoggetto, non poſteuene alcune duramente, ò ſouerchie, per empir verſo, ò per la rima, non ſolamente lo ſtile era alto, e belliſſimo, ma ancora egli arricchiua il ſoggetto con tante belle ſentenze, & con tante vaghezze di penſieri, & ancor moſtrandoui ſtudio, & dottrina, che de' circonſtanti più ne reſtauano attratti, & attoniti quelli che più erano di dottrina, & di giuditio, & facendoſene da ogn'vno vniuerſal profetia, che ſe quel fanciullo haurà vita, come ſi deue ſperare dalla gratia di Dio, che per gloria ſua, & contentezza de' buoni vien dando al mondo di queſti coſi diuini ingegni, egli ſia per riuſcire vn vero, & alto miracolo di queſta età. Percioche, oltre à queſta viuaciſſima ſubli-

mità d'ingegno ſuo naturale, ſi vede in lui vn grandiſſimo deſiderio delle virtù, & vn cotinuo ſtudio. Et quei noſtri Signori, che ſono ſtati ſempre il ſoſtegno, & il ſolleuamento vero d'ogni ſorte di virtù rara, & hanno fatto con queſto lor patrocinio ſempre tenere Ferrara per vna vera madre, & nutrice de' più chiari lumi d'Italia, non mancano di tenerlo ſollecitato, & aiutato con ogni via in quel ſuo lodeuoliſſimo deſiderio. Onde da già più meſi gli hanno data cura di leggere vna Lettione publica Latina.

Dall'Hercolano del Varchi à cart. 272.

ED io per me non vdij mai coſa (il quale ſon pur vecchio, & n'hò vdito qualch'vna) la quale più mi ſi faceſſe ſentire à dentro, e più mi pareſſe marauiglioſa, che il cantare in ſu la lira all'improuiſo di M. Siluio Antoniano, quando venne à Firenze coll'Illuſtriſſimo, & Eccellentiſſimo Principe di Ferrara Don Alfonſo da Eſte genero del noſtro Duca, dal quale fù non ſolo benignamente conoſciuto, ma largliſſimamente riconoſciuto. C. Io ne hò ſentito dire grandiſſime coſe. V. credetele, che quello in quella età ſi giouaniſſima è vn moſtro, è vn miracolo di natura; e ſi par bene, che ſia ſtato allieuo di M. Annibale Caro, & ſotto la ſua diſciplina creato. Et io per me, ſe vdito non l'haueſsi, mai non harei creduto, che ſi fuſſono improuiſamente potuti fare coſi leggiadri, & coſi ſententioſi verſi. C. Il tutto ſtà, ſe ſono penſati inanzi, come molti dicono. V. Laſciateli pure dire, ch'egli non canta mai, che non voglia, che gli ſia dato il tema da altri. Et io gli lo diedi due volte, e amendue vna in terza rima; e l'altra in ottaua diſſe tutto quello, che in sù la materia poſtagli parue à me, che dire non ſolo ſi doueſſe, ma ſi poteſſe con gratioſiſsima maniera, e modeſtiſsima gratia. C. Dio gli conceda lunga, & feliciſsima vita. &c.

Dalle correttioni del Caſteluetro contra l'Hercolano del Varchi, à carte 24.

ANcora lo commenda come colui, che habbia ſotto la ſua dottrina formato, & alleuato vn miracoloſo Moſtro di natura Siluio Antoniano, il quale ſproueduttamente, in coſi tenera età fà verſi molti in numero, & rari in bontà di qualunque materia gli ſia propoſta. Et certo non è leggiera commendatione queſta, che ſi come da' frutti, ſe ſono buoni, ſi conoſce il maeſtro eſſere valente. Ma non ſarà perſona coſi groſſa, & credula, a cui il Varco dia ad intendere, che Siluio Antoniano habbia impreſa dall'inſegnamento, ò imparato dall'eſſempio d'Annibale Caro queſta marauiglioſa arte del verſeggiare bene, & di rimare ſproueduttamente d'ogni coſa meſſagli inhanzi &c.

Et poco ſotto.

Perche ſe il Varco il vuole commendare da queſta parte, moſtri altri diſcepoli, che rappreſentino meglio la coſtui natura, e'l magiſterio, che Siluio Antoniano.

Et à cart. 25.

Hora parrebbe, ſe ſteſſe bene à me parlare di me non in male, che qui lo diceſsi, che quel medeſimo Lilio Gregorio Giraldo nomina, & celebra me in quel libro, che ſcriſſe de' poeti Latini del ſuo temporale non pur critico, mà poeta ancora, & che Siluio Antoniano, il quale quaſi ogni giorno, mentre che io ſtetti in Ferrara, doue ſtetti molti meſi, era con eſſo meco, può hauere imparata più toſto la preſtezza del comporre, ſe imparare ſi può da alcuno, da me, che dal Caro.

Prace-

PRÆCEDENTIVM LOCORVM verſio ex lingua Etruſca in Latinam.

Ex Ruſcelij capite ſeptimo Methodi componendi fol. 102.

ET ne retro temporibus, ac credulitate voluamur, viuit hodie inque hominum ore, & aula Illuſtriſsimorum, & Excellentiſsimorum Eſtenſium Principum Ferrariæ degit SILVIVS ANTONIANVS: qui duobus ab hinc annis in tranſitu Sereniſsimæ Poloniæ Reginæ Venetias in Comitatu Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Cardinalis Ferrarienſis venit: qui cum ætate adoleſcentulus eſſet, ſextum decimum enim vitæ annum nondum attigerat, tum in conſpectu Poloniæ Reginæ, tum alibi alias in Aula Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Mecenatis ſui, nec non Illuſtriſsimorum, & Reuerendiſs. S. R. E. Cardinalium Auguſtani, & Triuultij, aliorumq. Principum lyram, aut teſtudinem tanta vocis ac modulationis venuſtate pulſauit, vt magnam ſui in animis hominum admirationem, amoremq. reliquerit: accedente præſertim ex temporali verſificandi facultate, qua octauos Rythmos in omni argumento ſibi nec opinanti propoſito elegantiſsime profundebat. Nec verbis tantum cultis, lactioribusq. & rei de qua tractabatur aptis, & accommodatis vtebatur, nullum rythmi gratia verbulum aut durius, aut ſuperfluens explendi verſus cauſa ſubnectens. Nec ſtilus tantum plebeio ac vulgari illo cultior, venuſtiorq. admirationi erat, verum etiam oblatam argumenti materiam tot pulcherrimis ſententijs, tantaq. cogitationum illecebra decorabat, maximum hinc ingenij ſui ornamentum, inde exornatam doctrinæ ſtudijs indolem oſtentans, vt quo ſpectatorum quiſq. maiore eruditione, ac iudicandi acrimonia præditus erat, eo penitus elegantiſsimos, & Rythmorum eius virtutes, & diuinos nobiliſsimi ingenij fructus melius cognoſceret. Vnde communi maximorum hominum ſuffragio in hanc ſententiam itum eſt, fore, ſi Deo fauente (qui ad maiorem ſui laudem bonorumq. ſolatium talia nonnunquam ingenia mundo impartitur) longioris vitæ vſum impetrare poſſit, vt in iſto adoleſceutulo VERVM ALTVMQVE SAECVLI HVIVS MIRACVLVM conſpiciatur. Namque præter ſublimes, atque illuſtres argutiſſimi ingenij opes alias longe maiores inexhauſto virtutis ſtudio perpetuaq. diligentia ſibi comparaturus eſt. Quare Excellentiſſimi D. D. Noſtri, qui præſidium ſemper & dulce decus ijs fuere, quorum induſtria & ingenium inter mortales poterat eſſe illuſtris, ac generoſa illa liberalitate effecerunt, vt FERRARIA foret parens, & nutricula præſtantiſſimorum Italiæ luminum augeret, nequaquam tam inſigni virtuti deeſſe voluerunt, omniq. ope ac ſubſidio, tam laudabile eius inſtitutum prouehere, & confirmare inceperunt. Vnde effectum eſt, vt auctores Latinæ linguæ nobiliores è celſiore loco in Gymnaſio Academico interpretandi prouinciam illi aſſignauerint;

Ex Herculano Varchij, fol. 272.

EGo vero quantum ad me attinet nihil vnquam audiendo accepi (affectæ tamen ætatis ſum, & plurima his auribus excepi) quod magis me mihi ſubriperet, & maiorem mihi admirationem concitaret quam extemporaneæ ad lyram, Odæ SILVII ANTONIANI, cum is Florentiam in comitatu Illuſtriſſimi, & Excellentiſsimi Principis Ferrariæ Alphonſi Eſtenſis Generi Ducis noſtri perueniſſet, a quo non tantum benigne agnitum, verum etiam liberaliter habitus fuerit, multa etiam fando de ipſo audiui, quæ magna mihi & admiranda videntur; hoc mihi credas velim illum in tenera illa ætate monſtrum, & naturæ miraculum recte appellari poſſe, & vero facile ex Anibalis Carl diſciplina talem prodijſſe tantiq. viri virtutem ſpirare omnibus appuret. Ego quidem niſi præſens audiuiſſem, vix fidem adhiberem verſiculos extemporales tam lepidos, ac gnomicos fieri vlla arte poſſe. Hic tamen aliqua difficultas oritur dubitandi num præmeditatos habeat, vt plurimorum fert opinio. Opinentur iſti, quod velint, nunquam ad cantus accingitur, quin arbitrarium argumentum

extemplo a quouis accipiat. Ipſemet duabus vicibus iterum atque iterum vnum Tertiæ, (quod vocant rimæ) argumentum, aliudq. Octauæ ſuppeditaui, in quo tam eleganter, & venuſte luſit, vt quidquid in illam rem dici poſsit, gratiſsimo decore, & iucundiſsima venere ſtatim effunderet. Deus Opt. Max. longa illum vita, ac felice frui patiatur &c.

Ex Caſteluetri in Herculanum Varchij animaduerſionibus fol. 24.

EX hac etiam parte commendat Anibalem Carum, quaſi is ipſe ſit, qui ſub diſciplina ſua inſtituerit, & omnibus artis præceptis inſtruxerit, magnum illud naturæ miraculum SILVIVM ANTONIANVM, qui è veſtigio in tam imbecilla ætate verſus non ante meditatos, & numero copioſos, & elegantia commendabiles in quolibet propoſito argumento concinnat. Nec quidem leuis iſta commendatio eſt. Nam ex optimæ frugis diſcipulis magiſtri induſtria, & præſtantia dignoſcitur. Neminem tamen tam obtuſæ crudelæq; mentis futurũ exiſtimo, qui ſibi a Varchio perſua[d]eri patiatur SILVIVM ANTONIANVM inſtitutione Anibalis Cari, aut exemplo tantum in verſificandi artificio progreſſus feciſſe, vt quamlibet obiectam ſibi rem extemporali poeſi veſtire, & condecorare poſsit &c.

Et paulo poſt.

QVamobrem ſi Varchius illum hac ratione commendabilem nobis, reddere conatur alios in medium Cari alumnos producat, qui melius ANTONIANO illius ingenium, ac magiſterium oſtentent &c.

Et fol. 25.

NVnc mihi non abs re videretur, ſi liceret non indeterius de ſe ipſo loqui, ſi hic ſubijcerem illum ipſum Lilium Gregorium Giraldum me non Criticum tantum, ſed poetam etiam appellare & celebrare in illo libro, quem de poetis Latinis ſui temporis inſcripſit, SILVIVM quoq. ANTONIANVM, cui fere quotidiana mecum dum Ferrariæ commorarer familiaritas intercedebat, a me potius illam verſificandi promptitudinem ſi ab alicuius inſtitutione ea peti potuit, quam a Caro didiciſſe.

Bartholomæus Riccius Io. Antonio Locatellio S. D.

CVm Siluius Antonianus in humanioribus ſtudijs cum eruditione, tum etiam iudicio ſit adoleſcens, qui in ijs æquales paucos pares, in illo vero neminem habeat ſuperiorem, ſi illum non plurimum diligam, litteris iniuriam facere videar. Verum ſi horum nihil vnquam attigiſſet, neque litteram nouiſſet; quoniam tamen ijs moribus, atque ea vitæ integritate, quæ ab improbis etiam hominibus ſuapte virtute laudatur, præditus eſt, facere non poſſem, quin eum cariſſimum haberem, atque eius cauſa omnia vellem. nunc vero cum hæc omnia ſimul vna in eo excellant, atque ita, vt vtrum ars, vnde ſtudia, & litteræ emanarunt, an recte agendi a natura inſtituta ratio antecellat, ſatis conſtitui non poſſit: quando æque vtrunque in eo ad ſuam ſummam peruenit, vt quem ſtudia prudentiſſimum reddant, vitæ vero ſanctior ratio in probatiſſimis viris collocet; impius ſim, ſi huic primas, & ſecundas, & tertias in amore non deferam. Sed his etiam accedit, quod propter communia ſtudia, atque ſummam meam erga illum beneuolentiam in amore mecum mutuum facit. propter autem ætatem; me eundem, vt grandiorem natu, ſummo etiam honore proſequitur: qua eius in me ingenua venerentia non iam illum cæteris in amore præferre debeo; ſed eum quantum me ipſum amare cogor. Video te expectare, quorſum tam vehemens epiſtolæ initium, atque multiplex amici commendatio ſpectet. Scito igitur, nouo iſto bello exorto docendi publicam diſciplinam apud nos totam ſublatam eſſe: malo enim hoc fato, non ſolum arma nobis in manus ſumpta ſunt; ſed libri etiam ex manibus exciderunt: pro quo vno publico incõmodo multis magnum detrimentum, Syluio vero maxima calamitas iniecit, cui Madius Philoſophus, a quo paterne in Philoſophiæ præceptis inſtituebatur, ereptus eſt; qui cum ceteris, qui in noſtro Gymnaſio publice docebant, dimiſſus eſt. Sed aliorum melior conditio, qui ad

alienos

alienos doctores aut Patauium, aut Bononiam, aut quouis alio ſi conferre potuere. Huic vni omnes hæ uiæ præcluſæ fuere, neque hoc ex ulla rei tenuitate, quem amici nunquam deſeruiſſent, ſed ne ab Hercule Principe ſuo, vel tantum pedem diſcederet. Sed Deus Opt. Max. qui ſuis optime conſulit, te quaſi dedita opera per hoc tempus nobiſcum eſſe voluit; a quo id ſi non publici, ſaltem priuati muneris habere poſſet. Audio enim te tua ſponte illi obtuliſſe quicquid, quod multum eſt, in te eius facultatis ineſt, id omne cum illo ad conſtitutam horam domi tuæ fideliter eſſe communicaturum. Quod vt ego intellexi, manus in cœlum ſuſtuli; Deo gratias egi, qui ſuos proſus non desereret. Tibi vero, quem iam multo ante a meo Braſchio magis amare non poteram, plurimum debere cœpi. Verum ſi ad tuum iſtum animum mea commendatione quicquam amplius acceſſerit, quod erit ſi non ſolum ſuſceptam partem fideliter illi explicueris, ſed quam viam in ijs ſtudijs cum minus ancipitem, tum etiam breuiorem inſiſtere debeat, tam illi familiariter commoſtrabis: multi enim, vt magnos in ſuis ſtudijs progreſſus fecerint, interdum ſe poſtea tamen in illis magis erraſſe, quam didiciſſe animaduertunt, atque in caput iterum redire, aliamq. de integro viam inire coguntur. Hoc inquam, ſi a te amplius habebimus, me nihil, quod tua cauſa poſthac nolim polliceor habiturum: quin moleſtum erit, non eam mihi remunerandi facultatem dari, quam ego cuperem, & ipſe mereris. Si quid tamen mea, ne quid dicam de eius diuinis, ſcripta vnquam valuerint, non minima ex parte ea tibi polliceor valitura. Vale.

B. R. Siluio Antoniano S. D.

SAtis tibi Silui, ſuperq. eſſe potuit, quod ſummus poeta natus eſſes: qui cum Heroum res præclare geſtas eo verſu caneres (ne quid nunc dicam de ijs, quos Italica lingua de quaque re, quæ tibi propoſita ſit extempore vel optimos facis) vt eas ipſas, vt gererentur, ante oculos proponere videaris: tum etiam cuiuſque generis amores variè deplores, neque in ſacris Deorum pari cum dignitate non ludas; niſi alteram etiam laudem, qua ex oratorio dicendi genere comparatur tibi tam feliciter vendicares. Tuæ orationi, quam de ſcientiarum laudibus ad maiorem vrbis ædem habuiſti, interfui, quam pro rei magnitudine ita peroraſti, vt paucis omnia non ſolum percurriſſe, ſed etiam ample pertractaſſe mihi ſis viſus: idq., eo, quo alia aliam pars aptiſſime ſequeretur, ordine, & filo. Dictione item, quæ veterum tuorum, actione vero, quæ etiam recentiorum eſſe agnoſcitur, etiam maxime laudatur. Vt mea ſententia id iam ſis adeptus adoleſcens, quod vix pauci ſenes ſunt aſſecuti: vt in vtroque dicendi genere; æque plurimum valeas. Perge modo (vt facis) in vtroque ſtylum tuum exercere, & mihi crede breui fore, vt in vtro plus laudis homines tibi attribuant, incertum habeant, atque in te finem quærendi faciant, qui ex veteribus optime ſimul caneret, ac ſplendide, atque copioſe diceret, nullum æque vnquam fuiſſe. Vale.

B. R. Siluio Antoniano S. D.

QVando eodem die te Princeps noſter duplici munere affecit, ego quoque nunc tibi dupliciter gratulabor; atque vtro magis, haud ſcio; an ex ſexaginta illa annua penſione tibi conſtituta, an ex ea publice interpretandi extraordinaria prouincia. Nam quod ad penſionem, illa quidem ad commodum tuum maxime confert: ſed in ijs bonis tamen adnumeratur, quæ fortunæ attribuuntur. Interpretandi vero munus multo quidem eſt nobilius, ſed vereor, ne tuis interioribus ſtudijs incommode acciderit. Illud enim tempus, quod huic parti dabis tuis auditoribus, quidquid id ſit, explicandum, id totum de tuis optimis ſtudijs detraxeris. Huc accedit, quod dictionis elegantiæ, qua vna maxime delectaris quamq. nihil omittis, vt aſſequaris; ea loquendi ratio plurimum eſt obfutura. Nam cum latine (vt fit) in explicandi curſu fereris, multa ſæpe tibi deficient. Plura etiam non ſtatim, nec ſuo tempore ſuccurrent propria verba; tum ne hærere videaris, non ſolum impropria, aut minus culta, ſed interdum etiam barbara, ac quicquid in buccam venerit, arripies. Qua vna re nihil eſt, quod eloquentiæ pernicioſius accidere, nihil quod magis eam

continuare poſſit. Nam cum id ſæpius feceris, quod ſæpiſſime eſt faciendum, ob aſsiduitatem id, vt vitium, vitare ſtudebis; ſed in cæterorum morem ſæpius, ſatis tibi eſſe præſtatum excuſabis, ſi ab auditoribus tuis intelligaris. Atque ita dum cæterorum commodo ſtudebis, in tuis peſsime delinques. At qua in re? quæ in ſermone, quæ in ſcriptis, quæ domi, quæ foris, quæ nunc, quæ multos etiam in annos gloriæ tuæ ſit egregie obfutura. Quare meum conſilium eſt, ſi omnino docendum eſt, ne multis id facias: ſed vt breui auctoris ſententiam explices. in multis enim, vt in vitioſam iſtam loquendi rationem incidas, neceſſe eſt, quando nondum id eo modo facere potes, quo ijs facere licet, qui iam pridem in optimo dicendi genere conſtituti ſunt, atque dicendi vſum optime callent: qui cum etiam ſubito ad dicendum veniunt, neſcio quid ex eo, quod cogitate egregie faciunt, afferre videntur: ac quaſi nauis illa faciant, quæ plenis velis feratur; quibus etiam deductis, non nihil tamen prioris incitationis ad aliquantum ſpatium retinere videtur. Sed hoc mihi eo minus moleſtum eſt, quo id tibi eſt rarius faciendum. Nam ſi quotidie in eo dicendi genere tuo ſtilo abutereris, prorſus actum eſſet de tuo illo politiori ſcribendi modo: nunc vero non vereor, quin multorum dierum cogitata ſcriptio per paucorum dierum interpretationem ſit valde ſuperatura. Vale.

B. R. Siluio Antoniano S. D.

SI tibi libebit, aut etiam commodum erit, cupio, vt cum vrbaniſſimo, ne dicam nunc cum doctiſſimo Madio noſtro, ac Fuſchinio optimo viro, mecum ad meam Villulam in Quartiſano. VII. Id. Iun. ſitis, quem diem lætitia magis, quam vino pleni, riſu, ac iocis traducemus. Cui diei, ſi vobis per veſtras vrbanas actiones licebit, tum etiam qui ſequitur dies, adiungemus. Diſtat locus ab vrbe ſex millia paſſuum, vna hora matutina, plus minus, iter illud commodiſsime Ciſio conficiemus. In reditu vero in Beriguardum loci regij viſendi cauſa facilis erit declinatio. Nolo id ante, ne ex ampliſsimo loco cum in humilem diuerſorium poſtea veniſſetis, vobis quaſi a ſplendidiſsimo ſole in paruum candelæ lumen oculos conieciſſe videremini. Expecto, vt reſcribas quam libenter hanc noſtram inuitationem accipias, nam de ceteris non dubito, quin mihi gratiam hanc læto, atque alacri animo facile ſint facturi. Vale.

B. R. Siluio Antoniano S. D.

VIdes Sylui, quæ cœli in nos inclementia exorta ſit. Nobis nubes vndiq. cœlum obnubunt: creberrimus imber toto effluit cælo, vt mox lutulentiſsima futura ſit via, niſi tu lyram ſumas, atque Apollinem tuum exores, vt ſudum ſaltem reducat. Noſtri riſus, noſtri ioci villici, vel omnibus vrbanis ſuauiores nobis ſunt erepti, atque prope ex ore ipſo euulſi. Si vero id non impetras, nihil eſt cur barbiton in parietem non illidas, atque etiam fias ad Bacchum transfuga: aut illi miniteris (cum precibus non obtineas) te poſtea omnia eius ſcelera palam in Vrbibus, in publicis locis ad eius lyram eſſe diuulgaturum. Sed non negabit, modo te ad preces accingas. Vale.

B. R. Siluio Antoniano S. D.

DIj iſti malæ tempeſtati omnia mala dent; quando ipſa me peius afficere non potuit. Non poterat in tertium, vel ſaltem in poſterum diem hæc cœli improbitas differri? Ruiſſet poſtea cœlum ipſum; nihil feciſſem. Sed quæ mea bona fortuna eſt, credo quicquid imbris aquarius per totam æſtatem terris demittere, quicquid ventorum Aeolus effundere debuit, id totum in vnam ſuperiorem noctem, atque continenter in hanc diem coegiſſe, atque effudiſſe. Dij boni quid hoc fuit iniquitatis? Aut quid ego tam impie aduerſus vos egi, quem tanta iniuria afficeretis? At peſſimus omnium hominum in deteriorebus fuerim, ne-

farie omnia egerim, omnium ſcelerum fuerim affinis; certe hac vna re nulla caſtior, nulla integrior agi potuit. Optimum Philoſophum, ſanctiſſimum Poetam, æquiſſimum Iuriſconſultum ad meam villulam in Quartiſano. VII. Id. Iun. animi gratia inuitaram: præiueram pridie eius diei veſperi, omnibus tamen prius in Vrbe, quæ ad iter illud eis accidebat, conſtitutis; vt ibi quoque haud imparatus illos poſtridie mane acciperem. Hactenus læta omnia. Verum ecce tibi tota nocte illa, quæ conſtitutum diem præcedebat, totum cælum denſiſſimis nubibus ſubito corripitur: ac ventis primum, deinde imbribus ita conturbatur, vt corruere videretur. Quod vt ſenſi (ſenſi enim ſtatim) nihilominus quam cælum, ipſe omnino commotus ſum. Ad vnum quoque nouum venti flatum grauiter angebar: totus etiam imber in me vel in lecto cubantem irruere videbatur. Me tamen vt melius poteram, ſuſtinebam; ſperans ad naſcentem ſolem vtrumque ceſſaturum. Surgo è lecto ſub ipſum diem, quando ſub ſolem dicere non poſſum; circumſpicio, nuſquam ſpes fore melius oſtentatur; nuſquam Auroræ albor, nulla ſidera, nox omnia denſiſſima, creberrimus imber. Neque tamen etiam dum deſpero; media me æſtas, meaq; integritas conſolatur, vt partim ventus, partim ſol nubes illas diſcutiat, ceſſet imber, ſerenum inducatur. Sed fruſtra omnia: pergit, vt cœperat inclementius imber; venti vis in ſextam diei horam acrius ingruit. Tum tota ſpe excidi, totoq; animo côcidi; quicquid enim reliqui manſit, totum fuit deſperatio; atque in cæli inclementiam illam verba aſpera. Quod ſi integritatis meæ nullam (de more ſuo) rationem habere noluit, ſaltem Madij optimi Philoſophi, hoc eſt viri ſanctiſſimi, Siluij adoleſcentis Apollinis filij, Euſebij omnium integerrimi aliquam habere potuit. Sed nunc plane perſpicio, quantum mihi fortuna aduerſetur: vt apud eam plus mei ſolius odium, quam eorum omnium bonitas valuerit. Vtinam Silui mihi tuus ille diuinus ſpiritus, vel vnum tantum diem concederetur, efficerem probe, vt hoc haud inultum abſtuliſſe minime lætaretur. Quod ego eo ſecurius facerem, quo iam ab ea nihil grauius accipere, neque nouum ei iniuriæ locum dare poſſim. Neque tibi tamen ſuadeo, vt meam illam vicem doleas; atque gratiſſimus hoc officium mihi præſtes. Nollem enim mea cauſa illam in te acerbius inſurgere. Valde enim eſt mala beſtia, quæ cornu, quæ dente, quæ pedibus ferit. Quin ſi me audias, tam tuis verſibus nobis lenire ſtudebis, atque omnibus precibus rogabis, ne poſthac, cum iterum hoc ipſum conſtituerimus tam aduerſa, atque ingrata ſit, tibi ſoli vnum illud iter feliciter concedat. Vale.

B. R. Siluio Antoniano S. D.

IAm mihi nullum locum poſthac periculo vacuum video, quando in lecto valens, dormiens, pene oppreſſus ſum. Noſti pomum (quod dicunt) ligneum, vnde lecti tentorium pendet, illud veteri funiculo, quo, vt vſus ferebat, aut tollebatur, aut demittebatur, diffracto mihi in alterum armum (in latus enim dormiebam) grauiter decidit, vt videas hominum conditionem. Sed bono tamen fato factum eſt; ne mihi in caput decideret. Totum enim illud mihi, quod eius pondus erat, contriuiſſet. Cum ita latus offendiſſet, vt etiam poſt vigeſimum diem inter eundum non nihil ſentiam. Quod vero ipſe non ſolum prorſus quartana careas, ſed omnem etiam grauedinem a te remoueris, valde gratulor. Quare etiam commode poteris animi cauſa huc ad me te conferre, vbi lætius quantum tibi videbitur, commoraberis. Neque eſt quod quicquam a ligneis malis metuas; magis roſea, quæ hic ſunt hoc anno pulcherrima, noſtris manibus colligemus. Ferreis enim vncis ab altero capite in terebræ morem præacutis, in trabe immiſſis annulo item ferreo, nullo funiculo, vt tentoria appenderentur, curaui. Vale, ex meo Quartiſano.

B. *R. Siluio Antoniano S. D.*

PEdes ſum, Camillus ægrotat, cælum æſtu ardet, via longa eſt, rei familiaris cura me ſibi totum poſtulat; his multis, ac maximis impedimentis te his diebus ægrotantem non viſi. Nunc te hoc, quo commodius poſſum, modo viſo, atque rogo, non vt mihi ignoſcas, qui

nihil

nihil admiſi, neque vt valetudinem tuam cures, qui tua ſponte id facis; ſed vt conualueris, per iſtos æſtus, vt parumper tua ſtudia, illa inquam ſeueriora ſtudia, non hæc humaniora, ſeponas, genioq. atque lyræ tuæ tantum indulgeas. Hoſpes hic eſt Bononienſis Bolognetius mirificus adoleſcens; qui te ad lyram canentem audiendi miro deſiderio tenetur: hanc ſi illi gratiam facere poſſes, & te, & optimo adoleſcente, qui haud ſcio, an huc ea tantum cauſa acceſſerit, digniſsimum faceres. Poetæ, ac XL. viri filius eſt, neque etiam ipſe cum infans, tum etiam a tuis muſis alienus. Si te reuiſerit, reuiſet omnino, ac febris, vt audio, prorſus abierit, rem eleganter, vt facere ſoles, in ſermonem induces, atque ita belle lyram poſces. Atque aliquid; vel etiam de eius laudibus ad eam ages. Interim vale.

B. R. Siluio Antoniano S.D.

LEgi tuas litteras, ſed quid ego dico legiſse meæ ceterorum enim leguntur, tuis vero ita afficior, vt nihil ſuauius ſentiam. His vero omni voluptate ſuffuſus ſum; neque id iniuria: nam qua ego dicendi elegantia maxime delector, eius ex totæ referiæ erant, vt cum eas legerem, me non legere, ſed omni voluptate frui viderer. O te vndique felicem Silui, qui tecum ab ortu tantum ingenium extuliſti, atque ad omnia nobiliora ſtudia facillime percipienda, & factus, & natus es. Tu in verſibus pangendis, ſiue id ſubito, de quaq; materia, quæ tibi propoſita ſit ad dicendum, omnes qui te audiunt, ſumma afficis admiratione, ſiue eos meditate ſcribis ſummo eoſdem ſtupore comples. In ſolutiore præterea oratione quis te facilior? quis compoſitior? quis comptior, atque elegantior legitur? vereor ne me, quæ tua eſt ingenuitas, hoc auribus tuis dare putes, atque hæc magis, quia in te eſſe cuperem, quam quod ita ſit, hæc ad te ſcribere, te equidem tantum amo Silui, idque tuis virtutibus, quantum quiſquam alius, aut etiam quemquam alium. Sed ea tamen beneuolentia nihil impedior, quo minus, ſi quid ſecus in te ſit, videre poſsim, aut adducor vt ei, quam par eſt, atque etiam facere debeam, quicquam amplius in te laudando obſequar. Quid autem ad ætatem? nunquid hoc quoque falſo tibi dare videbor? Certe cum duo de viginti annos attigeris, ſummum ætatis tuæ attigeris. Quo breuiſsimo ſpatio alij fari incipiunt. Tu vero & ſplendide loqui, & numeroſe canere didiciſti. Vt vere ego illud de te, quod de Vergilio adoleſcente dictum circumfertur, vſurpare poſsim. Salue ſcilicet, Silui magnæ ſpes altera Romæ. Tametſi illud altera in te mihi duplex verius efficere poſſum. Qui in poetica facultate iam Maroni adoleſcenti propius accedere, in dicendo vero Ciceroni etiam grandiuſculo optime reſpondere videaris. Vt nihil dubitem, cum par ætas, ac ſtudium acceſſerit, quin vtrique proxime accedas. In quo vero de me quæris, vt te doceam, qua ratione in poſteriori verſeris, ac quam ex eo tibi ad propoſitam benedicendi rationem ſuppellectilem comparare poſsis. Equidem Silui cum hæc duo tibi præcepero, vt in Cicerone lectionem tuam contineas; atque in eo dieq. noctuq. verſeris: lectioni vero ſcriptionem aſsiduam vt adiungas, omnia, quæ ad hanc poſtulationem pertinent, tibi præcepero. Siquidem ex lectione verborum delectum, in eloquentia tribunnt. Locutionem deinde videlicet, vt quæq. ac quoquo modo ſplendide, copioſe, humiliter, grauiter, atque cum dignitate dicantur, inde quoque aſſequere. Cum vero non poſtrema laus ſit in oratione, numeroſe dicere. Idq. aurium iudicio maxime comprobetur. Si eas in vnius Ciceronis lectione attriueris, qui fieri poterit, vt in tua ſcriptione illas poſtea non ſequaris, atque ad earum quaſi harmoniam non concinne ſcribas. Nam ſi tibi quoties numerum ſeruare voles, ad pedum rationem recurrendum ſit, atque cur magis breui, quam longa ſyllaba vtaris, ex arte ipſa erit quærendum nimis niſi infinitum longum laborem tibi conſtitueris. Perindeq facies atque ille, qui formæ litterarum ignarus, ſcribat. Cui ad earum ſingularium formam effingendam, ſemper ad eam reperiendam, erit recurrendum. Quod is non faciet, qui eas frequentiſsimo vſu, mente, atque animo comprehenderit. Si quid tamen ex tua lectione in tuum codicem ad præſentiorem memoriam tranſcribere voles, vt qui ex pretioſiſsimis gemmis quaſdam præſtantiores deligas, quas poſtea, cum vſus poſcet, in orationem tuam illiges, quarum micantibus radijs ea illuſtrior, ac ſplendidior fiat, id in primis, cum in verborum, tum in ſententiarum figuris ſeruari poterit. Pari item ratione, ſi in tranſlatis feceris, haud ab re feceris. In vna

vero locutionis ratione ſemper attentior eris. Vt ſi nouum apparatum inde tibi conſtituas, non admodum improbem. At vno tuo, ne mihi fruſtra ſummum laborem ſumam, facile poſſum acquieſcere. At mihi crede, multo magis vnum tuum, quam centum alienos, apparatum tibi eſſe profuturum. Quidam item ſunt dicendi modi, qui per ſe nituntur: quiq. eodem modo ſemper proferuntur. Vt ſoluendo non eſſe. Dedita opera. Siue de indnſtria. Quo iure, quaque iniuria. Tertio quoq. verbo. Quaq. verſus. Aliud alias. Mutatis equis ad celeritatem. Ad verbum. De improuiſo. Vt nunc eſt. Quantum in me eſt. Tantum abeſſe vt. & alij innumerabiles. Qui ſi in vnũ locum conferantur, ac poſtea legendo, vel percurrantur, iſtud tuum ſtudium non nihil ornabunt. Sed hæc, & reliqua eius generis minuta ſunt. Quæq. vel nullo negotio adinueniri poſſunt. In ſcriptione vero, quæ in diſtributione noſtra pars erat altera, hoc ſtudij ponendum erit. Vt aſſidue ſcribas, reſcribas, deleas quæ ſcripſeris, meliora reponas, in eandem ſententiam non eodem modo ſtilum tuum exerceas. Quando Cicero affirmat ſtilum eſſe optimum dicendi magiſtrum, atque effectorem. Sed quemadmodum ex vno Cicerone omnem verborum delectum, ceteraq. quæ orationem tuam illuſtrabunt, ita ab eodem ſcribendi exemplum tibi ſumendum erit. Vt hunc tibi tantum proponas; cuius non ſolum lingua loqui, ſed ad eius etiam imitationem tua ſenſa exponere videatis. Hæc pauca, vt vides, quæ tamen multa ſunt, cum tuæ optimæ naturæ adiunxeris, nihil diffido, quin breui ſentias, te quicquid vis in dicendo conſequi poſſe. Tametſi in eo iam tam longos progreſſus feciſti, vt parum viæ ad eum finem tibi relinquatur. Quam ego tibi, vt tuo iſti deſiderio magis ſatisfacerem, quam quod quicquam meis præceptis ipſe indigeres, hoc modo perbenigne demonſtraui. Cetera ſi quæ ſunt alia ad illud iter conficiendum, ea ipſe per te facile animaduertes, atque deprehendes. Vale.

B. R. Siluio Antoniano S.D.

Altera, & vigeſima (vt noſtri dicunt) eius diei, quo Ferraria diſceſſeram, hora Bononiam perueni, ea Ciſij commoditate, quæ eſſe poteſt in publico: viæ autem facilitate, quæ ex ſuperioribus imbribus orbitis ad rotarum aſſes effoſſis, atque etiam lamis veteribus plena eſſet, quæq. poſtea glebis vento, & ſole obduruiſſet. Sed id multo grauius, quod meorum quadraginta virum nullum in Vrbe offendi. Cuſpius Romæ Legatus adhuc tenebatur. Giſlerius, Bolognetius, Elefantutius ruri cum familijs per hæc temperatiſſima autumni tempora ſeſe oblectabant. Paleotius Caraſio Cardinali Venetias occurrerat, vt plane hoſpes eſſe videar. De cubiculo præter hoſpitem, non autem hoſpitam ſatis bonum virum, nihil ad meam ad Gandulſium deſcriptionem; quin eius fineſtræ ita ſe in cælum tollunt, vt ſcalis ad eas aperiendas mihi opus ſit. Rides, per tam male, niſi ita eſt. Sed non apud hunc ſum diutius commoraturus. De impreſſoribus, (vt dicunt) quia litteris optime parati ſunt, ij ab operis peius imparati eſſe non poſſent. Qui vero contra ab his optime, ab illis peſſime ſunt comparati, vt quid acturus ſim, non ſatis conſtituam. Si poſſem hinc hoc, illud autem ab illo, quod opus eſſet mutuari, ſperarem aliquid confici poſſe. Dabo tamen omnem operam, ne huc fruſtra veniſſe videar. Sed iterum rideas licet. Dum hæc ſcribo ante lucem ad lumen; ecce tibi piſtor, qui noſtri vici panes coquit. Oſtium more ſuo pultat. Non ſentitur. Iterum grauius repultat, fruſtra tertio, ac ſæpius iratus vehementiores, atque crebriores ictus ingeminat. Omnes mortui ſunt. Tum ego ſcriptione miſſa ad oſtium accedo. Quis, inquam, tam inſolenter fores has infringit? Piſtor, ille inquit, qui iubeo iſtas mulieres panes conficere; tum iſti oſtium aperio, vt is ſuo cum illis perfungatur officio. Ingreditur, vocat, clamat, vociferat. Sepultæ ſunt mulieres. Tandem ex inferiori ædium parte, credo ex cella vinaria, vox emittitur abſurdiſſima, ſe facturas. Vt videas, cui mihi in hac mea hoſpitalitate deſeruiendum ſit. In vicinia autem eſt muliercula mente capta, altera Gabriella noſtra, quæ noctu, quæ interdiu, inſanis clamoribus totam complet viciniam. Sed quid expecton' te? an non? ſi me amas, ſi res tua, ſi principis benignitas fert, te te octo ſaltem dies Ferrarienſibus ſubtrahas, atque ad nos Bononiam puſillas Venetias, aduola. Crede mihi Vrbem hanc vnam omnium eſſe commodiſſimam, ciuium vero animos omnium hominum humaniſſimos, atque in hoſpitibus accipiendis benigniſsimos. Vale. Bononiæ. id. Octob. MDLVII.

B.R. Siluio Antoniano S.D.

MOnſtrum horrendum, ingens. Ain tu muſas virgines tibi adoleſcentulo vitium obtuliſſe? atque ex eo compreſſu heroum filium natum? Multiplex medius fidius portentum, mulieres caſtiſsimas cum viro coiuiſſe, atque eum concepiſſe, ac peperiſse. Id mihi illi Catonis ſimile eſt viſum. Cum neſcio quis prodigium eſſe diceret, quod mures per noctem mane diſceſſuro ſoleas corroſiſſent, neque propterea illi tuto eſſe diſcedendum. Minime, inquit ille, id quidem prodigium fuiſſet, ſi ſoleæ mures corroſiſſent. O elegantiſsimas muſas, quæ cum tam eleganti adoleſcentulo coiuiſtis, atque ex eo talem partum ſuſcepiſtis. Ignoſco vobis veſtram iſtam libidinem; imo vero vos rogo, vt tam ſæpius repetatis, atque Iouis patris veſtri cum Alcumena concubitus imitemini. Concludite diem inter duas noctes ac veſtros Hercules; vos quoq. progignite: quando vobis nullus vter eſt gerendus, neque ad veſtros partus vlla vocanda eſt Lucina. Sed ad partum tuum redeo. Dijs gratias ago, qui ne abortum faceres prouiderunt, aut ne, vt montes, murem pareres, effecere: tametſi hoc Principum eſt, non autem tenuiorum virorum. Sed quid, ſi ipſe muſas compreſſiſſes? Credo, ſingulæ ſingulos Apollines peperiſſent. Sed hactenus de iocis, fortaſſe etiam plus ſatis, qui vt tibi ad tuas adoleſcentiores reſponderem, homo ſeptuagenarius quaſi ineptire videre potuerim. Tuum igitur partum hoc eſt tuos optimos verſus legi, relegi, atque etiam, vt eorum ratio poſtulabat heroice concinnui. Tu quidem Silui pie, atque ad miſericordiam vniuerſæ Italiæ cauſam agis, atque apud eum Iudicem, qui pœnitenti ignoſcit, atque omnia ſcelera veniam petenti vſque eò condonat, atque remittit, vt ſe, ſuamq. vitam pro hominum ſceleribus atrociſſimæ, atque turpiſsimæ morti offerre non dubitauit. Sed fruſtra preces fundis. Inanem operam ſumis, non quin is eas libenter audiat. Sed quia eius ope nihil opus eſt ad id, quod rogas. In Principum noſtrorum concordia ea ſita eſt poteſtas, atque auctoritas. Ij odia deponant, arma abijciant, animos inter ſe concilient, in priſtinam concordiam redeant, pacem faciant. Otium conſtitutum eſt, quies Italiæ parta eſt. Omnia tuta, atque in tranquillo ſunt poſita, vt aliunde quæramus quod in nobis habemus. Quod qui faciunt, indigni ſunt, vt audiantur. Vt illum ruſticum imitari videamur qui cum œſtro in pede (vt in fabulis eſt) ſauciaretur, manibus in cœlum ſublatis, Iouem rogabat, vt is illud inde eijceret. Quaſi ipſe ijſdem hoc ipſum efficere non poſſet. Ita nos facimus, qui eum precibus ſollicitamus, vt ea nobis concedat, quæ in noſtra manu poſita ſunt. Illos igitur, quorum odijs omnia euertuntur, ius ſublatum eſt, vis, & ſcelus dominatur, cantu, ſi potes, flecte, eorum animos emollias, atque ita pacem, atque quod quæris, Italiæ otium conſtitueris. Hoc vero quod ad verſus tuos. Ego hic aliquot dies eſſe cogito, cum vt mihi ad impreſſorem adſim, tum ne Camillo filio deſim, quem perinde, atque ſi domi eſſemus, in viuendi vſitata conſuetudine contineam, atque ita in aliena Vrbe, quaſi in ſua eſſe videatur. Vale.

B.R. Siluio Antoniano S.D.

HOdie Silui mihi tecum. Id prope accidit, quod Cicero cum ſuo Dolabella ſibi accidiſſe dicebat. Hic enim ad ipſum Dolabellam ſcribens, ſibi ex eius egregijs rebus, quas in conſulatu geſſerat multas, ac maximas a præſtantiſsimis viris gratulationes factas eſſe, quaſi cuius conſilio eas Dolabella geſsiſset, quodam modo gloriabatur. Nam cum ipſe ſplendidiſſ. illam orationē de laudibus eloquentiæ habuiſſes, continuo Amanius cum Bendidio ad me accedens, tibi gratulor, inquit, Ricci, quod tam cito tantum alumnum tibi confeceris. Cui ego. Nihil eſt, quod hac cauſa mihi gratuleris. Illum magis adoleſcentem admirari omnes debemus, qui in hoc dicendi genere tantos, tamq. breui tempore progreſſus fecerit. Equidem quod ad hanc orationem attinet, ne verbum quidem eius aut legi, aut audiui antea. Recte ille quidem, ſed ex tuis præceptis, atque inſtitutis eo iam peruenit adoleſcens, vt etiam ſine cortice (vt dicunt) longum natare poſsit. Tum ego, non negarim

equidem

equidem me illum, vt filium amare, neque quicquam habere etiam in hac dicendi ratione (ſi modo quicquam habeo) quod cum eo non libenter communicarem. Sed mihi crede, tale eius ingenium eſt, vt parum adiumenti extrinſecus illi ad quiduis faciendum, opus ſit. Ego quoq. illum ad verſus tantum quos mirifice facit,natum eſſe credebam, ſed vt ipſe quotidie magis comprobat, nihilominus ad hoc ſolutum dicendi genus, quam ad illud numeris paulo aſtrictius, appoſite factum eſſe video; vt ſi vita ſuperſit, neque ex inſtituto curſu, aut caſus aliquis (quod nolim) aut etiam aliorum ſtudiorum ratio, quæ iam parata eſſe videtur retraxerit, vtrum præſtantior orator, an magis egregius Poeta iudicetur, in dubio ſit omnibus relicturus. Quam meam ſententiam omnes, qui aderant, Locatellij, Pignæ, Friſolij, Bendidij, Lolij, vna voce & amanter, & conſtanter confirmarunt. Hæc autem tum de te: nunc vero ego hæc tecum. Magnam tibi Silui aduerſariam conſtitutam eſſe vides,ſummam omnium tui ingenij expectationem,quam niſi vir præſtiteris, non ſolum tuorum, atque adeo tuis commodis imprudenter conſulueris, ſed dignitati etiam non leuiter obſueris. Quorum vtrunque quanto in pretio apud omnes ſit, neminem fugit. Quare ipſe interea pro virili contendes, atque eniteris, vt in neutro tibi deſis. Id autem aſſequeris, ſi ita quam cœpiſti, viam ire perrexeris. Vt quotidie aliquid amplius profeciſſe te ſentias, neque quicquid remum intermiſeris, ne ceſſando retro relabaris, atque ita fiat, vt nunquam alterius, quo ſemel perueniſti excedas. Quibus meis fideliſsimis conſilijs ſi parueris, tum mihi quoque ex ampliſsima illa tua gloria, vt aliquid decerpam, tibi minime moleſtum eſſe debebit. Quid enim ex Oceano guttulam haurire? non quin hoc quoque tua ſponte ſis optime facturus, ſed quoniam mea paterna cohortatione ſi non aliquid doctrinæ,certæ acutioris ſtimuli non parum ſit acceſſurum. Vale.

B.R. Siluio Antoniano S.D.

QVoties in cubiculum ingredior, quo mihi in bibliothecam iter eſt, toties tui memoria mihi renouatur, id autem ex tuo ſigno, qnod in vaporarij cornice (vt dicunt) collocatum eſt. Id quod quam crebro fiat, dici non poſſet, vt prope te nunc abſente magis fruar,quam cum præſens adeſſes, non faciebam. Sed illud mutum,mortuum,vmbra. Viuus longiſsime abeſt, vt inde præter tui recordationem nihil habeam amplius. Tantundem te a meo plumbeo habere audio reſpondere. Acquieſco. Te amo. A te amor. Illud ex oculis, hoc ex animo. Sed moleſte fero te a me in amore vinci, mallem equidem ſuperari. Iam alter menſis adeſt, cum a nobis diſceſſiſti, neque tamen adhuc quicquam de tuo aduentu. At nouus eram in Vrbe. domus, quæque ad victum pertinent, cetera mihi erant paranda. Recte quidem. Ignoſco. Quid vero ſi ego tuas litteras mea præſentia, non autem meis litteris anteuertam? Nihil enim mihi optatius, quam vt ego Romam,tu me Romæ, aliquando videam. Certe Silui nihil propius eſt, quam vt cum meo Principe iſtuc veniam. Iam nimis ingraueſcis. Non ego; ſed ardens deſiderium tantæ Vrbis videndi, tot, ac tantos amicos viſendi me, vel quinti luſtri virum reddere poteſt. Noſti præterea quam ego ætatem meam optime, atque atletice feram. Vnum impedimento (ſi iſtos audiamus) eſſe poteſt, alter ſupra ſeptuageſimum annus, quem homini fatalem notant, atque in quo plures decedunt, obſeruatum eſſe dicunt. Quæ ſuſpicio mihi quoque iniecta eſt. Quare etiam propero, quantum poſſum,vt mea ſcripta edam. De Iudicijs Florentiam miſi,vt opus publice deſcribatur. Familiares Epiſtolæ adhuc ſub prœlo ſunt. Cum hæc ſcribebam XIII. Kal. Mar. intercalares in Padanam inſulam, vbi ſuperiori nocte Pr. noſtra Medicia accepta fuerat, vt eam inde in Vrbem ſolemni pompa ducerent, omnes conueniebant. Ego Iulio,illi Monoclo LIII. annos in carcere cuſtodito, comes ſum datus. Dum equus adducitur, hæc tecum. Sed ſeruus pultat. Equum adeſſe ferunt. Conſcenſum eo. Totum ingreſſum poſtea ad te perſcribam. Nunc vale. XIII. Kal. Mar.

B.R. Siluio Antoniano S.D.

FRanciſcus Robortellius tandem Bononiam venit expectatiſsimus. Hunc ego cum viſerem, ita me amanter complexus eſt, vt germanum fratrem amantius complecti nequiuiſſet.

uiſſet. Continuo enim inquit, ecce meum Riccium, quem Ferrariæ videre non potui, nunc Bononiæ in meo complexu teneo. Tum ego doleo mi Robortelli, te Ferrariæ domi meæ ita hoſpitem accipere non potuiſſe, vt tu me nunc Bononiæ aduenam accipis. Atque ita aſſedimus. Incipit ille. Primum Herculi Principi noſtro gratias immortales agit, qui ſe humaniſsime accepiſſet, atque cum omni rerum ſuarum vectigali condonatione ad iter ſuum res ſuas continuo expediri iuſsiſſet. Deinde in tuas laudes ingreſſus, earum nullum finem fecit. Commemorat enim, vt ad ſe ad ſuum hoſpitem humaniſsime viſum acceſsiſti, ac poſt amiciſsimos complexus, qui toti ſermones fuiſſent, quemadmodum cum Pigna de Poetæ fine diſputaris, cum diceret ſe Horatij ſententiam cum ceteris facile tueri. Pignam vero contra duos fines nulli facultati dari acutiſsime diſputaſſe, atque in vna tantum voluptate eum finem verſari defendiſſe: vt niſi ego hic ea cauſa eſſem, qua plane ſis, meum ab Vrbe noſtra diſceſſum hunc peius odiſſe non poſſem. Sed neque quæ ſequuntur, me leuius affecerunt, cum narrat te lyram poſtea ſumpſiſſe, atque ad eam Cæſaris Heroicum, deinde alterum, quo poſtremo Italiæ calamitatem deploras, ceciniſſe. Quibus abſolutis, atque ita (vt fit) breuioribus ſermonibus interiectis te de eo quæſiuiſſe, vt tibi proponeret, de quo extempore Etruſco carmine caneres. Tum ſe, vt litteras laudares, propoſuiſſe. Video te primum, vt de illo cane fertur, qui in vilem feram obiectam nihil commotus eſt: ad nimis vulgare argumentum, ac de quo alias centies egiſſes, quaſi ſtetiſſe, deinde tamen, vt ei ſatisfaceres, quaſi in Tranquilliſsimo Oceano nauigares vela ſoluiſſe. In qua vna tanta rei pertractatione te omnia & prudenter vidiſſe, & ſuo vnumquodq. loco apte, atque concinne diſtribuiſſe; ea vero dictione, atque actione, quæ tua Romana eſt, mire perſecutum eſſe, aſſeuerabat. Quo perfecto, te item nouum argumentum quæſiuiſſe, dicit. Credo ego te a tanto viro in re aliqua nobiliſsima, vt maius periculum de tuo ingenio faceret, cupiuiſſe. Id quod ipſe, ſuam humanitatem ſequens, atque iſti ætati fortaſſe non ſatis fidens, haud imprudenter omiſit. Quare alterum tibi proponit ſuperiori non minus tritum, videlicet, vt eorum ſtatum, qui principibus ſeruiunt (quos aulicos vocant) laudares. Cui reſpondiſti te ſæpe alias contra ceciniſſe; nunc tamen in eius gratiam hoc quoque libenter eſſe facturum. In quo item te ipſum longe ſuperaſſe, ſumma cum omnium admiratione teſtabatur. Quibus omnibus vti ego tua cauſa interea afficerer, ne expecta, dum dicam, cum re ſcias, vt filium alterum a me amari. Sed hæc mi Silui, pene etiam dixi fili, in adoleſcente atque iſta, qua tu es ætate, vere commendatur, atque etiam admirationem faciunt, in paulo vero adultiori, non ita: in ſenectute vero nullam prorſus dignitatem habent. Quare non tam præſentem gloriam admiraberis, quam futuram ex ceteris tuis præclaris ſtudij omni labore contendes, vt aſſequaris. Illa, illa Silui ſolida, ac vera laus eſt, quæ ex omnium rerum cognitione naſcitur. Tu igitur (vt facis) perge illi omnem operam dare: neque ſi tibi vnum Madium præſtantiſsimum illum quidem Philoſophum belli hæc importuna rabies ademit, non tamen nunc cum Belgerinius, tum etiam Locatellius tibi deerunt. Neque ego deſpero, cum bellum hoc, iam prope affectum, totum ſepultum erit, quin in ſequentem annum Madium noſtrum ſis habiturus. Tu vero interea in tuis iſtis initijs ita verſaberis, vt ad illa poſtea diuina quaſi factus non tantum eruditus venias. Hactenus de te. Nunc ad me redeo breui tecum eſſe cogito, domo enim diutius abeſſe non poſſum. Ac niſi me magis hic Camillus filius, quam Epiſtolarum mearum editio detineret, me domi Robortellius non autem Bononiæ offendiſſet. Vale. Bononiæ. VI. Idus Nouembr. MDLVII.

B. R. Siluio Antoniano S. D.

TVa carmina ita hic omnibus probantur, vt qui ea legere, quorum magnus numerus fuit ſibi omnes deſcripſerint. Nunc in manu M. Tullij ſunt. Quid, inquies M. Tullij? Erraui volui dicere Virgilij. Sed neque erraui, nam is quidem eſt M. Tullius nomine, re vero haud impolite vtrunque refert. Qui & eleganter ſcribit, & numeroſe etiam, & concinne canit, vt ex eius verſibus, quos tibi mitto, ipſe facile iudicabis, qui ex tuis te tanti facit, vt nullum æque, neque quicquam tam libenter, quam de tuis laudibus, audit. puta tu, vt conueniamus. Atque ego illi meis de te prædicationibus ſatisfaciam. Hic te ex meis verbis,

atque

atque adeo ex tuis litteris cum multis alijs auide expectabat: & ſi iam pridem de aduentu tuo deſperatum eſt; quamquam ego nihil vnquam de eo melius, quam nunc facio, ſperaui. De meo vero reditu, aut in quem me diem expectes, ego nihil etiam dum habeo, quod ad te ſcribam. Sane hæc peregrinatio quam vellem, iam mihi longior eſſe videtur. Sed me conſolor, cum hic fruſtra non ſum. Tamen antequam maius frigus cælum occupet, atque aquæ ad nauigandum gelu obdureſcant, nauem conſcendam, atque ad vos remis, velisq. aduolabo. Vale. Bononiæ.

B. R. Siluio Antoniano S. D.

M. Tullius Beroius hæc mihi, quæ tibi carmina mitto, ſcripſit: quorum pars altera vtriq. noſtrum, & ſi mihi ſoli tota eſt inſcripta, communis eſt. Tametſi is in ea tuas, magis quam meas laudes perſequitur, idq. mea cum ſumma voluptate, qui eo modo dupliciter laudari videor: ſemel ab eo, iterum a tua virtute, cum cuius laudibus mea laus coniungitur. Altera tota tua eſt: niſi quod ipſe quoque hanc ipſam cum eo communem habes, vt qui rem eandem, atque eodem verſuum genere proſecutus ſit. Hic enim, vt tuos verſus vidit, continuo, vide quæſo mi Ricci, vt in hanc ſententiam ego quoq. luſerim, verſusq. ſuos mihi tuorũ quam ſimillimos legit. Tum ego, Beroi, hoc quidem nihil admodum mirum videri poteſt. Res enim omnibus pernota eſt, atque in qua ſiue poeta, ſiue orator ſtilũ ſuum exercere poſſet. Quis enim recentem Italiæ calamitatem deplorare, atque etiam eo modo, quo vterque veſtrum facit, facile non poſſit? ita eſt inquit: tamen mihi pergratum feceris, ſi vt ego a te eius verſus legi, eam operam dabis, vt a te eodem ipſe quoque meos habeat. Id quod ei libenter me facturum recepi: idq. nunc facio. De editione autem mea, ea nondum ad dimidium venit: veniam ego tamen ad vos propediem, mecumq. quicquid deſcriptum erit, afferam. Vale interea. Idem vt Locatellius noſter faciat, meis verbis iubebis. Bononiæ.

B. R. Laurentio Frizolio S. D.

BInas tuas litteras in lecto Tertiana laborans accepi. Quarum alteris mihi ſignificas Antonianum noſtrũ pro S. Petri Aede ad Sum. Pont. atque Cardinalium Collegium primo Ieiuniorum die, de more, orationem habuiſſe, eamq cum dictionis ſplendore, tum etiam actionis dignitate mire ab omnibus commendatam. Quod quidem mihi magis gratum, quam nouum accidit. Noui ego iam a puero adoleſcentis ingenium. Neque id deſtiti omnibus prædicare, neque etiam in quo potui, aut meis litteris ad amicos commendare: aut etiam monitis illum adiuuare, quicquam omiſi. Sed floſculi ſunt hi (vt dicunt) mox cum adoleuerit, maturiores fructus eum edere ſenties. Modo nobis illum Dij incolumem ſeruent. Ad alteras venio, quibus mihi &c.

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. LVDOVICVM TORREM Cardinalem Montis Regalis.

O magne Torres, Ordini
Adſcripte Cardinalium,
Mores, honores, et genus
Antoniani ſcripſimus.
Tuoq. noſtras paginas
Acumini ſubiecimus.
Quo Cardinalis optimi
Cenſore vita Te queat
Prodire in oras luminis
Ornata teſtimonii

Auctoritate ampliſſimi.
Ne collocaſſe Te male
Noſtris notandis, obſecro,
Horas bonas exiſtimes.
Sint noſtra quamuis horrida,
Inculta, inepta, et friuola:
Antoniani ſed tamen,
Qui maximi Te fecerat,
Spectata rebus arduis
Pietas, fideſq. poſtulat,

Nil

Nil ſcriptionis lumina.
Quocunq. ſcilicet ſtilo
Sit exarata, candidam
Mentem legentis allicit.
Atque ad colenda permouet
Virtutis Enthea decus.
Hoc hoc laboro, hoc deprecor,
Vt ſummouendum cenſeas,
Si forte quid ſit traditum
Minus mihi fideliter,
Aut perperam narrauerim.
Et ſiqua me feſellerint,
Benignus ipſe ſuggeras.
Vetuſtus vſus exſtitit
Vos inter, atque ambos amor
Vinclis reuinxit mutuis.
Suſpexit ille nobiles
Auos Tuos, et Copiam
Opeſq. priſci ſanguinis,
Paremq. bonorum gloriam.
Colebat in primis Tua
Humanitatis inclytæ
Et dignitatis vnicum
Hoc ſæculo noſtro Decus.
Nam ſiue de Myſteriis
Audiuit altis Te loqui,
Siue adminiſtrare optime
Cognouit olim creditam
Prouinciam, atque Eccleſiam
Ornare ſanctis moribus
Nouoq. ſaxo; fructibus
Epiſcopalis muneris
Abire liberaliter
Iuſſis in vſus pauperum,
Templiq. cultum Regii,
Cælo ſupinas protinus
Vtraſq. palmas ſuſtulit,
Egitq. gratias Deo,
Noſtro quod æuo Præſulem
Incomparabilem dedit.

Ioſephi Caſtalionis Dimetri.

Anaſtaſio Germonio Siluius Antonianus.

PRandebam Kalendis Ianuarij apud Patres meos Oratorij, ecce tibi Iuuenalis noſter non ſolum magnos amicitiarum conglutinator, ſed mirus etiam conuiuiorum inſtructor, neſcio ex qua cella penaria, ſuauiſſima epularum condimenta deprompſit, plane de Theſauro patris familias noua, & vetera, litteras tuas vetuſtiores, & libros recentes. Quid hic non dulce, non iucundum, non amoris, & caritatis plenum. Iucundæ litteræ, grati libri, amore tuo nihil dulcius; tempus ipſum, & locus, vbi prima amicitiæ noſtræ fundamenta iacta ſunt, ipſe denique amicitiæ conciliator, & muneris Iuuenalis omnia condiebat. Vides voluptatum cumulum tui ingenij, tuæ excellentis doctrinæ eſt, tanquam ex abundanti, & copioſa domo, eiuſmodi ſtrenam anno ineunte amicis mittere; vtinam is eſſem, qui donis tuis vti ſcirem, ac poſſem. Næ ego illas amœniſſimas villas, quas commemoras, libenter relinquerem, & in tuas vmbroſas, & horrificas ſiluas me abderem, & in tuis dumetis, & ſpinis (ſic enim tuorum librorum materiam appellas) me totum peruoluerem. non adeo delicatus ſum, & voluptarius, nec ſiluas perhorreſco, qui ab illis nomen habeo, ſed Romæ ſtudijs operam dare perdifficile eſt. Maxima temporis inopia, maxima iactura. Quod ſi flores, & delicias, & amœnitates quærerem, certe libros tuos, vel ob hanc vnam cauſam, aſſidue legerem. Legi Epiſtolas tantum, quibus opus dedicas, & quæ ad opus deducunt; caue putes quidquam elegantius, aut magis Latine ſcribi poſſe. Sunt ſane complures ex veſtris interpretibus ſpinoſi, horridi, inamœni, barbari. Sed tu longe aliam ingreſſus es viam, Gallos vicinos tuos Iuriſconſultos eloquentiſſimos imitatus, qui maiores ſuos vlti, Romanis eloquentiam, & Latinitatem eripuerunt. Sed hæc hactenus. Tu iuſtitiæ cultor, & magiſter amantem, quod facis, ama, & Templum Dei ingenij, & eruditionis tuæ præclaris monimentis in dies magis ornare perge. Vale. Romæ. IV. die Ianuarij 1586.

Anaſtaſium Archiepiſcopum Tarantaſij fecit D. N. Paulus V. Pontifex Maximus MDCIX.

Exemplum Inſtrumenti quo Matthæus Antonianus Siluij pater Procuratorem ad locandum prædium, exigendum, liberandumq. conſtituit:

IN Nomine Domini Amen. Per hoc præſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum: quod anno à Natiuitate domini 1536. Indict. nona 19. menſis Martij Pontificatus Sanctiſſimi in Chiſto Patris, & D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ III. anno eius ſecundo in mei notarij publicij, teſtiumq. infraſcriptorũ ad hæc ſpecialiter vocatorũ præſentia perſonaliter conſtitutus prouidus vir D. Matthæus Felicis de Caſtro Caſtellorum nunc habitator Vrbis principalis prædictus principaliter pro ſe ipſo, omnibus melioribus modo, via, iure, cauſa, & forma quibus debuit ex ſua certa ſcientia omnes, & ſingulos procuratores, actores, factores, & negociorum geſtores quoad infraſcripta per eum conſtitutos reuocauit, & reuocat per præſentes, & pro reuocatis habere voluit, poteſtatem, & mandatum eis quomodolibet traditam, & concoſſam penitus, & omnino ab eiſdem auferrens, & præſertim quoad D. Bartholomæum Abbatem S. Saluatoris Caſtri prædicti Caſtellorum, & magnificum Antonium de Perculis dicti loci Caſtri Caſtellorum, inhibens idem D. Matthæus principalis ne DD. Procuratores huiuſmodi ſe de cetero intromittát, ſeu intromitteret præſumant: necnon de nouo ſponte, & ex eius certa ſcientia præſens Conſtitutus creauit, nominauit, deputauit, & ſolemniter ordinauit ſuum verum, certum, legitimum, & indubitatum procutatorem, actorem, factorem, & negociorum ſuorum infraſcriptorum geſtorem, ac nuncium ſpecialem, & generalẽ. Ita tamen quod ſpecialitas generalitati non deroget, nec ẽ contra R. D. Bartholomæũ Dominici de Bibelaquæ de Iuſtila Vallis Sicilianæ Pennen. Diœc. ibid. præſentem, & acceptantem ſolum, & inſolidum ſpecialiter, & expreſſe ad ipſius eiuſdem Conſtituentis nomine, & pro eo poſſeſſionem omnium, & ſingulorum bonorũ mobilium, & immobilium, domorum, & poſſeſſionum, terrarum, Siluarum, Vinearum, & aliarum rerum eidem D. Conſtituenti ſpectan. & pertinen. ſitum in iuriſdictione, & territorio dicto Caſtri Caſtellorum dictæ Pennen. diœc. & præſertim cuiuſdam poſſeſſionis arboratæ, & vineatæ, ſitæ in dicto territorio inter bona D. Angeli Hieronymi, & Iacobi, Bartholomæi de dicto Caſtro Caſtellorum, & dicta bona, & poſſeſſiones auendandum, locan. dislocan. & ad annuam penſionem dan. & conceden. pro pretio, & pretijs, ac perſonæ ſeu perſonis quibus ſibi placuerit dan., & conceden. deq. perceptis fructibus quietan. ac finem, pactum, & quietantias de rem percepram vlterius, non peten. facien. dan. nec non omnia, & ſingula eiuſdem Conſtituentis bona, debita, & cenſus reditus, & effectus quoſcũq. à quibuſcunq. perſonis exigen. recuperan. & accipien. & de receptis vt ſupra quietan. ac inſtrumenta quæcũq. deſuper neceſſaria, & opportuna dan. & conceden. & ſi neceſſe fuerit pro præmiſſis omnibus, & ſingulis in quocunque foro, ſiue iudicio quorumcunq. coram quibuſcunq iudicibus, & Commiſſarijs, tam extraordinarijs comparen. & agendum, ac ipſum conſtituentem, & eius iura defenden. libellum, ſeu libellos, & quaſcunq. petitiones ſummarias dan. & recipien. dariq. & recipi viden. litem, ſeu lites conteſtan. ſeu conteſtari viden. Calumniæ, & quodcunq. alterius generis licitum, & honeſtum iuramentum in animam ipſius D. Conſtituris, & eius nomine præſtan. & exaduerſo præſtari viden. ponendum, & articulandum, poniq. & articulari viden. necnon ad omnes, & ſingulos actus, & terminos iudiciales tam ſubſtantiales quã accidentales, ſeu neceſſarios in quacunq Curia tam Eccleſiaſtica quam ſæculari proceden. & procedi viden. ac eos ſeruan. & obſeruan. ſententiam, ſeu ſententias tam interlocutorias quam diffinitiuas ferri peten. & audien., & ab ea, vel ab eis, & a quocunque alio grauamine ipſi D. Conſtituen. illato, vel inferen. prouocan. & appellan. Apoſtoloſq. ſemel vel pluries debita cum inſtantia peten. & obtinen. appellationemq. & appellationes huiuſmodi inſinuandum, & proſequen. ipſaq. ad Romanam Curiam deuoluen. & deuolui facien. expen. damna, & intereſſe taxari peten. & faciendum, ac ſuper ipſis, ſi neceſſe fuerit, iuran. vnumq. vel plures procuratorem, ſeu procuratores loco ſui cum ſimili aut limitata poteſtate quoad lites tantum ſubſtituen. eumq. vel eos reuocan. & onus procuratoris huiuſmodi in ſe reaſſu-

mendi

mendi toties quoties opus fuerit, & ipſis ſeu eorum alteri ſi videbitur expedire, præſenti procuratorio nihilominus in ſuo robore duraturo. Et generaliter omnia alia, & ſingula facien. dicen. geren. exercen. & procuran. quæ in præmiſſis, & circa ea fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, & quæ ipſemet D Conſtituens faceret, & facere poſſet, & præmiſſis omnibus, & ſingulis præſens, & perſonaliter intereſſet etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale quam præſentibus eſt expreſſum. Promittens idem D. Conſtituens mihi notario publico infraſcripto tamquam publicæ, & authenticæ perſonæ ſolemniter ſtipulan. & recipien. iure ac nomine omnium, & ſingularum quorum intereſt, intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum ſe ratum, gratū, atque firmum perpetuo habiturum totum id, & quiquid per d. Procuratorem Conſtitutum, & ſubſtitutos ab eo ſeu eorum altero, actum, dictum, geſtum, procuratumvè fuerit in præmiſſis ſeu aliorum præmiſſorum; releuans nihilominus ex nunc, & releuare volens eundem procuratorem ab omni onere ſatiſdandi, ac iudicio ſiſti, & iudicatum ſolui, cum omnibus, & ſingulis clauſulis neceſſarijs, & opportunis, ſub hypotheca, & obligatione omnium, & ſingulorum bonorum ſuorum mobilium, & immobilium, præſentium, & futurorum, & qualibet alia iuris, & facti renunciatione ad hæc neceſſaria pariter, & cautela ſuper quibus omnibus, & ſingulis præmiſsis idem D. Conſtituens ſibi à me notario publico infraſcripto fieri, atque cōfici petijt, vnum vel plura publicum, ſeu publica Inſtrumentum, & inſtrumenta. Acta fuerunt præmiſſa Romæ in officio mei notarij infraſcripti ſub anno, indictione, die, menſe, & Pontificatu quibus ſupra præſentibus ibidem diſcretis viris Dominis Marcello de Beniiolis Fiſico Romano, & Ioanne Felice de Caſtellis Caſtellorum, ac Blaſio Serluporo de Regno Neapolitano & Marino . . . . . Valuen. diœc. teſtibus ad hæc vocatis, & rogatis.

Et ego Felix de Romaulis Ciu. Ro. publicus Apoſtolica auctoritate, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ notarius, quia præmiſsis omnibus interfui, ideo hoc præſens publicum Inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum ſubſcripſi, & publicaui, ſignoq. nomine meis ſolitis, & conſuetis ſignaui in fidem præmiſſorum rogatus, & requiſitus.

Ciriacus de Matthæis, Latinus Iuuenalis, & Chriſtophorus Stati de Thomarotijs Conſeruatores Cameræ almæ Vrbis vniuerſis, & ſingulis præſentes inſpecturis fidem facimus qualiter ſupradictus Felix de Romaulis noſter Ciuis Romanus qui ſubſcripſit, & publicauit præſens ſupradictum Inſtrumentū tempore in eo contento, ac ſatis ante, & nunc fuit, & eſt publicus, legalis, & authenticus Apoſtolica auctoritate, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ notarius, ſcripturisq. ſuis publicis plena fides adhibetur. in quorū teſtimonium præſentes fieri fecimus per infraſcriptum noſtrum Secretarium, ac ſigilli noſtri iuſsimus impreſsione muniri. Datum Romæ ex Palatio noſtro ſub anno Domini 1536. die vero 21. Martij.

Loco † ſigilli.

Exemplum Inſtrumenti confecti iuſſu Cardinalis Sabelli Papæ Vicarij, quo per quattuor nobiliſſimos ciues Romanos examinatos Siluium Antonianum pudiciſſimis parentibus legitimo matrimonio iunctis natum eſſe perhibetur.

IAcobus Miſeratione diuina tituli S. Mariæ in Coſmedin Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Sabellus vulgariter nuncupatus S. D. N. Papæ in Alma Vrbe, eiuſq. diſtrictu in ſpiritualibus Vicarius Generalis, Romanæq. Cur. Iudex ordinarius. Vniuerſis & ſingulis præſentes noſtras litteras, ſeu præſens publicum depoſitionum Teſtium Inſtrumentum viſuris, lecturis pariter, & audituris notum facimus, & atteſtamur, qualiter Die XIII. menſis Decembris 1564. Comparuit in Iudicio Coram R.D. Alfonſo Binarino I.V. Doctore Vtriuſq. Signaturæ Sanctiſsimi D.N. Papæ Referendario, & noſtro in Ciuilibus cauſis Locum

cumtenen. Romæ in Domo ſuæ ſolitæ habit. & reſidentiæ, ac notario noſtro publico infraſcripto Magnificus D. Siluius Antonianus Romanus, & ad perpetuam rei memoriam ad docen. ipſum fuiſſe ex legitimo matrimonio ortum, & procreatum, & natum in Vrbe Roma facto dedit articulos infraſcriptos tenoris &c. per quorum quidem articulorum verificatione induxit in teſtes Magnificos D. Io. Baptiſtā de Marganis, Io. Baptiſtam Torcellinum, R. D. Andream de Ciprianis, & D. Marium de Frangepanibus nobiles Romanos, quos petijt per eundem R. D. Alfonſum Locumtenen. noſtrum recipi, ad iuran. admitti, & examinari mandari. Qui R. D. Alfonſus noſter in Ciuilibus Locumten. prædictus attendens requiſitionem huiuſmodi fore iuſtam, & rationi conſonam, & quod iuſta petenti non eſt denegan. aſſenſus, dictos teſtes ad iuran. admiſit, & examinari mandauit, ac eorum dicta, & depoſitum in ſcriptis redigi, ſibiq. Inſtrumentum deſuper neceſſarium, & opportunum de eorundem teſtium dictis, & depoſitionibus dan. quorum articulorum tenor, & teſtium per Notarium noſtrum infraſcriptum ſucceſſiue examinatorum depoſition. ſequunt. & ſunt tales, videlicet. Ad perpetuam rei memoriam ac ad omnes alios meliores finem, & effectum procurator, & eo nomine Magnifici D. Siluij Antoniani Clerici Romani dat, facit, exhibet, & producit poſition. & articulos infraſcriptos, quos recipi, ſeq. ad illos proban. admitti petit ad ſuperfluam tamen probationem &c.

In primis ponit qualiter fuerunt, & ſunt in rerum natura D. Matthæus de Antonianis, & Pax de Colellis Roman. qui alias inter ſe matrimonium in faciem Sanctæ Matris Eccleſiæ contraxerunt, illudq. conſummarunt, & vti vir & vxor habiti, tenti, & reputati, nominatiq. fuerunt, habenturq. tenentur, & reputantur palam, publice, & ſic fuit & eſt verum.

Item quod dicti D. Matthæus & Pax coniuges matrimonium, vt præfertur conſummarunt, & ex eiſdem natus eſt dictus D. Siluius præfatus ex eadem vedelicet dicta Pace, qui quidem D. Siluius vti filius legitimus & naturalis eorundem D. Matthæi, & Pacis coniugum tam per eoſdem coniuges, quam per alios eos cognoſcentes pro legitimo, & naturali habitus, tentus, nominatus, & reputatus fuit, habeturq. tenetur, & reputatur palam, publice, & ſic fuit, & eſt verum.

Item qualiter dictus D. Siluius ex matrimonio, vt præfertur ſupradicto legitimus, & naturalis natus eſt hic Romæ in Domo eorundem D. Matthæi, & Pacis coniugum ſita Romæ in regione Pineæ, & hic Romæ in Parrochia ſanctæ Luciæ, N. tunc Parrochiano eiuſdem Eccleſiæ Sacrum Baptiſma recepit palam, publice, & ſic fuit, & eſt verum.

Item ponit qualiter idem D. Siluius ſic, vt præmittitur in Vrbe Rom. ex legitimo matrimonio natus, fuit etiam hic Romæ in infantili, & puerili ætate nutritus, & pro Romano, & legitimo Thoro natus & procreatus, habitus, tentus, & nominatus, & reputatus fuit, habeturq. tenetur, & nominatur pariter, & reputatur palam, &c.

Item quod præmiſſa fuerunt, & ſunt vera ſaluo iure &c. non ſe aſtringens &c. & proteſtatur omni meliori modo &c.

Die 3. Decembris 1564.

Examinatus fuit in Domo ſuæ ſolitæ habitationis iuxta portam poſitam in platea Margana Regionis Campitelli, Magnificus & nobilis D. Io. Baptiſta Marganus ætatis ſuæ legitimæ qui med. iur. tactis &c. ad perpetuam rei memoriam dixit, & depoſuit prout infra. videlicet; ſuper articulis part. product.

Super primo, dixit articulum verum, prout in eo, quia cognouit articulatos D. Matthæū & Pacem, & erant inter ſe coniuges, & articulatus D. Siluius ex eiſdem natus eſt, & ſemper pro tali, & vt talis ab ipſo teſte tentus, & reputatus fuit legitimus, & naturalis ex dictis coniugibus natus, & ab alijs pro tali, & talibus eum, & eos cognoſcentes teneri, & reputari, vidit, & audiuit, & dictus D. Matthæus adhuc viuit, Pacem autē neſcit viuere.

Super ſecundo, dixit articulum verum prout in eo, quia vidit, & audiuit eoſdem Matthæum & Pacem vt coniuges inter ſe cohabitare, nominari, teneri, & reputari, & ab alijs eos cognoſcentib. ita teneri, nominari, & reputari vidit, & audiuit, & ex eis vt ſupra dictus Siluius natus eſt, & pro legitimo, & naturali tenuit, & reputauit, & nominauit, & ab alijs teneri, nominari, & reputari vidit.

H Super

Super tertio, articulum verum prout in eo per ea, quæ ſupra dixit, & ſcit ipſum in Vrbe natum fuiſſe, & credit natum fuiſſe in Regione Pineæ, tamen non bene recordatur.

Super quarto, articulum verum prout in eo, quia à pueritia ipſum D. Siluium cognouit, & habitauit ſibi vicinus, & poſtea eum, & ſuos parentes cognouit, & ita reputari, teneri, & nominari vidit, & audiuit, & tenuit, reputauit, & nominauit.

Dicta die.

Examinatus in domo ſuæ ſolitæ habitationis poſita in Regione Campitelli per me &c. D. Io. Baptiſta Torcellinus Ro. ætatis ſuæ legitimæ, qui medio iuramẽto tactis &c. dixit, & depoſuit prout infra, videlicet ſuper articulis part. product.

Super primo, dixit articulum verum partim de viſu, & partim de auditu: de viſu quia cognouit, & cognoſcit dictos coniuges: & de auditu, quod inter ſe erant, & ſunt coniuges, & pro talibus à 15. annis, & vltra ipſos cognouit, & reputauit, & vt tales ſemper ab alijs teneri, nominari, & reputari vidit, & audiuit ab eos cognoſcentibus tamen non interfuit que nuptijs, neque ſponſalitio.

Super ſecundo, dixit articulum verum de auditu, & publica voce, & fama, quia non vidit, dum natus fuit prædictus D. Siluius, neque, ſi bene recordatur, ipſum vnquam vidit, tamen ſemper audiuit ex eiſdem coniugibus natum fuiſſe filium nomine Siluium.

Super tertio, dixit vt ad proximum, & vt credit, & ſi bene recordatur, dixit audiuiſſe dictum D. Siluium natum fuiſſe in Vrbe in regione Pineæ in domo D. Tarquiniæ ſororis D. Pacis.

Super quarto, dixit nil aliud ſcire, niſi ea, quæ ſupra depoſuit.

Dicta die.

Examinatus Romæ in domo D. Ioan. Baptiſtæ Margani regionis Campitelli per me &c. R. D. Andreas de Ciprianis Canonicus S. Mariæ Maioris ætatis ſuæ legitime, qui medio iuramento tactis &c. dixit, & depoſuit, prout infra videlicet ſuper articulis partium producen.

Super primo dixit articulum verum, quia cognouit articulatum D. Matthæum, & Pacem coniuges, & credit adhuc viuere, & non interfuit nuptijs, ſed ſcit ipſos eſſe coniuges, & matrimonium in faciem Eccleſiæ conſummaſſe, & pro talibus ad inuicem ſe habebant, nominabant, & reputabant, & pro talibus, & vt tales ipſæ teſtis tenuit, reputauit, nominauit, ac teneri, nominari, reputari, ac tractari ab alijs eos cognoſcen. vidit, & audiuit.

Super ſecundo, dixit articulum verum, prout in eo, quia articulatum D. Siluium à pueritia cognouit, & pro tali, & vt talem ſemper ipſæ teſtis tenuit, habuit, nominauit, reputauit, & tractauit, & ab alijs eum, & eos cognoſcen. nominari, teneri, haberi, & reputari vidit, & audiuit.

Super tertio, dixit articulum verum prout in eo, tamen non recordatur præciſe in qua Parrochia, quia non interfuit dum natus, & baptizatus fuit, ſed credit in regione Pineæ.

Super quarto, articulum verum, prout in eo per ea quæ ſupra depoſuit.

Super quinto, generalis eſt.

Die 13. eiuſdem.

Examinauit in domo ſuæ ſolitæ habitationis in Platea S. Marci Magnificus & nobilis D. Marius de Frangepanibus ætatis ſuæ legitimæ, qui medio iuramento tactis &c. dixit & depoſuit prout infra, videlicet ſuper articulis.

Super primo, dixit articulum verum, prout in eo, quia cognouit, & cognoſcit articulatum D. Matthæum, & Pacem a 23. annis citra, & ipſa Pax fuit adulta & nutrita in domo patris bon. m: n. Hortenſiæ de Attallis ipſius teſtis vxoris, & quia erat ita nutrita, voluit eſſe Commater ipſius teſtis & bon. mem. Hortenſiæ coniugum in baptiſmate vnius filij ipſius teſtis, & non fuit ipſe teſtis præſens nec ſponſalitio, nec nuptijs dictorum Matthæi, &

Pacis,

Pacis, tamen ſcit ex auditu ab ipſis, & ab alijs perſonis ipſos eſſe coniuges ab initio eorum cognitionis, & audiuit à bon. mem. Hortenſia eius vxore ipſam interfuiſſe nuptijs, & eſſe inter ſe coniuges vt articulatur, & ſemper ipſæ teſtis pro talibus tenuit, nominauit, & reputauit, ac tenet, &c. ac ab alijs eos cognoſcentibus teneri, & reputari vidit, & audiuit.

Super ſecundo, articulum verum, prout in eo, quia ab incunabulis articulatum D. Siluium cognouit, licet baptiſmati non interfuerit, quia etiam audiuit à dicta q. Hortenſia eius vxore dictum Siluium eſſe filium articulatorum D. Matthæi, & Pacis, eo quia interfuit ortui ipſius, & pro tali, & vt talem tenuit, nominauit, & reputauit, & ab alijs teneri, nominari, & reputari vidit, & audiuit.

Super tertio, dixit articulum verum prout in eo, tamen non recordatur ſub qua Parochia natus fuit.

Super quarto, articulum verum prout in eo, quia ab infantili, & ab incunabilis ipſum D. Siluium in Vrbe vidit, & cognouit, prout articulatum.

Super quinto, generalis eſt. ſilen.

Quæ omnia & ſingula præmiſſa vobis omnibus & ſingulis præmiſſis, & veſtrum cuilibet intimamus, inſinuamus, & notificamus, & ad veſtrum, & cuiuſlibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes.

In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium has præſentes, ſeu præſens publicum depoſitionum Teſtium inſtrumentum exinde fieri, & per notarium dictæ Curiæ noſtræ, & coram nobis publicum ſubſcribi, ſigilliq. noſtri, quo in talibus vtimur, iuſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in ædibus noſtris ſub Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1565. in dictione octaua, die vero ſecunda Ianuarij Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ Quarti anno eius quinto, præſentibus ibidem prouidis, & diſcretis viris Dominis Simone Gugnetto, & Claudio Deſiderio coram nobis connotarijs ad præmiſſa omnia, & ſingula vocatis, habitis, ſpecialiter atque rogatis.

Iacobus Butius notarius actuarius Curiæ Illuſtriſs. & Reuerendiſſ. Cardinalis Vicarij, &c.

Coadiutoria Vrbis, ſiue exemplum Motus proprij Papæ Pij Quarti, quo Siluius Antonianus annum agens XXV. Camillo Peruſco Gymnaſij Romani Rectori Coadiutor cum ſpe ſucceſſionis eſt datus: vbi multis laudibus à Summo Pontifice ornatur Siluius, aſſeriturq. Papæ & Card. Borromæi familiaris.

MOtuproprio &c. Cum ſicut accepimus Venerabilis frater noſter Camillus de Peruſchis Epiſcopus Alatrien. Gymnaſij Almæ Vrbis noſtræ Rector, vt commiſſum ſibi Paſtorale officium decentius exequi poſſit, nuper ad Eccleſiam ſuam ad effectum in ea reſidendi receſſerit, vel de proximo recedere, aut illam ſæpius viſitare intendat, & ob id, ac ingraueſcentem ætatem, ac varias infirmitates, ſeu alios naturæ defectus, quod miſera ſenectus ſecum adferre ſolet, officium Rectoris Gymnaſij huiuſmodi quod obtinet per ſe ipſum exercere nequeat, ac propria ſeu ex certis alijs cauſis animum ſuum mouen. cupiat dilectum filium Siluium Antonianum Clericum Romanum dilecti filij noſtri Caroli titulo S. Martini in Montibus presbyteri Cardinalis Borromæi nuncupati noſtrę ſecũdum carnem nepotis ſeruitijs inſiſtendo familiarem continuum Commenſalem noſtrum ſibi in Coadiutorem perpetuum, ac irreuocabilem in regimine, gubernio, & adminiſtratione dicti officij Rectoris per nos conſtitui & deputari, nos attendentes quod dictus Siluius in dicto Gymnaſio humaniores litteras honeſto loco profeſſus fuerit, eamq. bonos ſcriptores publice interpretandi prouinciam, quam nos ſponte ei impoſuimus egregie ſuſtinuerit, & ſicut quam

plurimorum teſtimonio comprobatum eſſe nouimus magnum inde ingenij & doctrinæ laudem reportauerit, nec non ad grata obſequia, quæ hactenus nobis & dicto Carolo Cardinali impendit, & adhuc ſollicitis ſtudijs impendere non deſiſtit, ac ad vitæ integritatem ſpectatos mores, aliaſq. virtutes, quibus illum Deus ornauit, debitum reſpectum habentes, atque horum omnium intuitu; tam illi, vt commodius ſuſtentari valeat, & ex ſtudio vt laboribus ſuis condignos fructus, & honores cõſequi poſſit, quam felici ſucceſſui Gymnaſij huiuſmodi opportune prouidere volentes eundem Siluium prædicto Camillo Epiſcopo quoad vixerit, & officium Rectoris huiuſmodi obtinuerit Coadiutorem perpetuum, & irreuocabilem in regimine, gubernio, & adminiſtratione dicti officij cum plena, libera, & omnimoda poteſtate, & facultate, & auctoritate omnia, & ſingula, quæ ad Coadiutoris officij Rectoris huiuſmodi officium tam de iure quam de conſuetudine, aut alias quomodolibet pertineat faciendi, gerendi, & exercendi, itaque ex nunc ipſo Camillo Epiſcopo quouis modo, & ex quacunque cauſa abſente, vel impedito, & non alias, niſi quando & quoties eidẽ Camillo Epiſcopo placuerit, ipſe Siluius officium huiuſmodi exercere poſſit, & valeat de conſenſu prædicti Camilli Epiſcopi, & ſine aliquo illius, vel iurium ſuorum præiudicio Motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus, & nihilominus officium Rectoris huiuſmodi cum primum illud per ceſſum, vel deceſſum, ſeu aliam quamcunq. dimiſſionem, vel amiſſionem prædicti Camilli Epiſcopi, aut alias quouis modo, tam de iure, quam de facto vacare contigerit, etiamſi nunc præmiſſis, aut quibuſuis alijs modis vacet, eidem Siluio etiã ſi tempore vacationis huiuſmodi Coadiutoris officium non exercuerit, quominus illud exerceat per ipſum ſteterit ex nunc prout ex tunc, & e contra, cum omnibus, & ſingulis ipſius officij honoribus, oneribus, iuribus, regalibus, & emolumentis ſolitis, & conſuetis concedimus, & aſſignamus, ipſumq. Siluium in locum dicti Camilli Epiſcopi quoad officium huiuſmodi, illiuſq. liberum exercitium etiam ex nunc prout ex tunc, & e contra cum omnibus, & ſingulis ipſius officij honoribus ſurrogamus, ac ad idem officium eiuſq. liberum exercitium, nec non honores, onera, iura, & emolumenta prædicta recipien. & admittendum, ſibiq. aduenien. vacatione ipſius officij de emolumentis prædictis integre reſpondendum fore, & eſſe, nec non officium prædictum ſimiliter ex nunc, prout ex tunc, & e contra ad ipſum Siluium pleno iure ſpectare, & pertinere, ſibiq. deberi, & in eo plenum ius omnino acquiſitum exiſtere, illudq. alteri quam ipſi Siluio, & cum, vt prædic. vacauerit per nos, & ſucceſſores noſtros Rom. Pontifices pro tempore exiſtentes concedi, & aſſignari non poſſe, neque debere, ac ex nunc qualcunq. conceſſiones, & aſſignationes, vel alias diſpoſitiones de dicto officio in alterum quam ipſius Siluij fauorem etiam per nos, & ſucceſſores noſtros prædictos, & Sedem prædictam reuocari, ſuſpendi, limitari, vel alterari, aut eis derogari non poſſe, ſeu ſub quibuſuis reuocation. ſuſpenſion. limitation. alteration. ſeu derogation. quomodolibet factis, & facien. minime comprehendi debere, ſed exceptas eſſe, & quoties ille emanabunt, totiens in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de nouo conceſſas eſſe, ac cenſeri, & ita per quoſcunq. Iudices &c. Iudican. fore ſublata &c. irritum quoq. &c. decernimus, & interim dicto Coadiutoris officio durante, & quouſq. ceſſauerit, & dictus Siluius prædictum officium Rectoris aſſecutus fuerit, & libere exercuerit eidem Siluio prouiſionem, ſeu ſalarium annuum ducentorum ſcutorum quam ſeu quod ſuper gabella, ſeu dohana ſtudij eiuſdem Vrbis, ac illius fructibus, iuribus, & emolumentis pro lectura per eum facien. aſſignauimus annis ſingulis in terminis, ſeu paghis, prout ſalaria, & ſtipendia lectoribus ipſius Gymnaſij ſolui conſueuerit integre, & abſque aliqua dilatione per illos ad quos ſpectat, perſoluendam, traden. & conſignandam concedimus, & aſſignamus: mandan. propterea dilecto filio noſtro Vitellotio S. Mariæ in Via lata Diacono Cardinali Vitellio nuncupato S. R. E. Camerario, ac alijs ad quos ſpectat, & pertinet prædictum Siluium ex nunc ad dictum officium recipiant, & admittant, ac recipi, & admitti, ſibiq. de iuribus, & emolumentis prædictis poſtquam vt præfertur, vacauerit, & interim prædicto Coadiutoris officio durante de prouiſione, ſeu ſalario annuo ducentorum ſcutorum huiuſmodi plenarie, & integre reſpondeant, ac reſponderi faciant realiter, & cũ effectu non obſtan. Conſtitut. & ordination. Apoſtolicis, ſtatutis, &c. etiã iuramẽto &c. roboratis, priuilegijs quoq. indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium quo-

modo-

modolibet conceſſis,necnon quibusuis alijs conceſsion. & aſsignation. aut alijs diſpoſit. de dicto officio quibusuis perſonis quantumuis bene meritis per nos, & prædeceſſores, vel ſucceſſores noſtros Rom Pont. ac Sedem Apoſtolicam,vel alias quomodolibet ſub quibuſcunque verborum formis ac tenoribus, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs clauſulis irritantibusq. & alijs decretis etiam motu, & ſcientia ſimilibus, aut alias quomodolibet fact. & facien. quas illarumq. omnium vim & effectum quoad hoc omnino ſuſpendimus, & in vacatione prædictum effectum ſortiri, aut locum ſibi vendicare non poſſe, neque debere decernimus, illiusq. ac ſtat. &c. priuilegijs, & indultis prædictis etiam ſi de illis &c. tenore &c. hac vice dumtaxat motu, & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine derogamus,ceteriſq. contrarijs quibuſcunq. cum clauſulis opportunis.

Fiat Motuproprio. I.

Et cum abſolutione a Cen. ad effectum &c. & de conſtitutione, deputatione in Coadiutorem,ac ex nunc prout ex tunc, & e contra conceſſione,& aſſignatione officij Rectoris, & durante Coadiutoris officio prouiſionis, ſeu ſalarij ducentorum ſcutorum vt ſupra, & quod præſentis motus proprij ſola ſignatura ſufficiat,& vbiq. etiam in iudicio, & extra ſidem faciat regula contraria non obſtan. ſeu ſi eidem Siluio videbitur litteris deſuper per breue noſtrum cum opportuna deputatione executorum qui aſsiſtant, ac faciant &c. non permitten. &c, cum poteſtate citan.&c.aggrauan.&c.inuocato &c. ſæcularis & derogatione dictarum,non tamen trium opportuna largitate exten. expediri poſſint. Fiat &c. I.

Datum Romæ apud S. Petrum quintodecimo Kal. Decembris anno quinto.

Die 21. Decembris 1564. Retroſcriptus R. P. D. Camillus Epiſcopus Rector præſens retroſcriptæ Coadiutoriæ deputationi,& alias iuxta formam retroſcriptam,& litterarum expeditioni conſenſit,iurauit, &c. Eſt in Camera. Hier.de Tarano.

Die 12. menſis Februarij 1605. præſentatus fuit præſens retroſcriptus motusproprius Coram Magnificis Cam. Almæ Vrbis Conſ. exiſtentibus in Camera prope quartam ſalam per retroſcriptum D.Siluium petentem admitti iuxta formã ipſius omni meliori modo &c.

Qui Magnifici Domini debita qua decuit reuerentia ipſum motumproprium receperunt, & admiſerunt, ac mandauerunt mihi Petro Paulo retroſcipto ipſum regiſtrari, prout regiſtratum appoſit. in libro rubeo fol.51. præſentibus Domino Hieronymo Bubalo,& D. Auguſtino Palonio Ciuibus Romanis Teſtibus &c.

Pro D. Aſ. Ruf. ſcriptor

Petrus Paulus Mut. cal.rog.

Die 11. menſis Februarij 1565. Illuſtriſsimus, & Reuerendiſsimus D. Cardinalis Cam. in plena Congregatione D. Rectoris, & totius vniuerſitatibus Gymnaſij Rom. præuio examine, & profeſsione fidei, ac iuramento in manibus præſt. Illuſtriſ. D. Iuxta formam bullæ S. D. N. admiſit, & recepit in poſſeſsione R. officij Coadiutoris iuxta formam motus proprij retroſcripti omni meliori modo &c. præſentibus D.Antonio.

Petrus Paulus Mut.Not.ſtudij.

Iam ſatis, ſuperq. tot, tantiſq. monumentis conſtare arbitror Siluium Cardinalem Antonianum honeſtis,caſtiſq. ortum parẽtibus ingenio,ſtudio,eruditione ſingulari, bonis moribus, artibusq. profeſſorias Cathedras, honoreſq. amplos in ipſa adoleſcentia & iuuentute adeptum eſſe. Quare fremant licet, inuidiaq. diſrumpantur, qui exiſtimationi Cardinalis optimi,& ab ipſa pueritia continentiſſimi, ſtudioſiſsimiq. detractum volunt, quiq. confictis, falſiſsimisq. criminationibus,calumnijsq eius vitam exagitant.

Siluij

SILVII ANTONIANI
S· R· E· PRESBYTERI
CARDINALIS
ORATIONES
Habitæ Ferrariæ.

ORATIO PRIMA.

Quam pene puer Ferrariæ Horatij Odas publice interpretaturus habuit.

QVOD vnum in meis conſilijs ſum ſequutus, quod animo prouidebam fore, cũ me Herculi Max. Ferrariæ Principi totũ duobus ab hinc annis addixi, vt mea ſtndia ad optatum finem commode poſſem perducere id niſi mihi ipſe deero ſumma eius liberalitate, iam videor aſſequutus. Etenim cum meus me animus ad litterarum ſtudia, in quibus mirifica ſemper dignitas fuit, plane accenderet, atque inflammaret, retardarer autem non mediocriter tenuitate fortnnarum mearnm, conſpexi omnino, auditores Nobiliſſimi, quemadmodum in rebus naturalibus ſolet, in quibus quæ per ſe exiguæ, & imbecillæ ſunt, maiorum viribus adnixæ creſcnnt atque extolluntur; ita mihi patronum aliquem inueniendum, cuius ope, atque auxilio, quod mihi in animo propoſueram, perficere aliquando poſſem, qua in re mirabiliter mihi Fortuna fauit, eo enim tempore feliciſſ. Hercules cum Romam, Marcelli Pont. Max. pedes oſculaturus veniſſet, in qua Vrbe totius orbis terrarum luce, atque ornamento, natus ego, & educatus ſum, meq. ex tempore carmina canentem audiſſet, vltro me accerſiuit, vt in illius fide, atque clientela eſſem. Quam ego conditionem vnam omnium auide ſum complexus, vnamq. omnibus alijs antepoſui, idq. eo libentius, quod omnes ſententiam meam, maxime laudaturos exiſtimaui. Nam ſi cum alicui optio datur eligẽdi, ea ſine dnbio ſumenda ſnnt, quæ plurimum conferunt, quæq. ceteris præſtant, neſcio profectò quis ille ſit, ſana tamen præditus mente, qui me, vel alijs rebus inferiorem, ob hoc propoſitum non commendet. Quin potius hic verum perfectumq. bonum eſſe affirmet. Siquidem ſi vere omnes alios Italiæ Principes contemplemur, Tranſalpinos enim quos nunquam pluribus de cauſis ſequutus eſſem relinquo, eorumq. virtutes in medium afferamus, quotus quiſq. eſt, cui non ſit perſpectum, quantum hic noſter animi, ac corporis, fortunarumq. præſtantia, longe alijs antecellat? Nam quæ maior in regendis populis, ac tranquillitate paranda, prudentia inueniri poteſt? Quæ tanta vnquam alio in Principe, in Fortunæ varietatibus æquabilitas eſt reperta. quis in proſperis minus exultans, maioreq. in aduerſis patientia, cuius geſtat Symbolum magnanimus? à quo magis quæſo, hoc turbulento & parũ Muſis ſecundo tempore virtutes, bonarumq. artium ſtudia extolli cernimus? quis benigne adeo ac liberaliter, litterarum cupidos fouet, atque amplexatur? Qui nobis iuuenes nobiliſſimi Vrbem hanc Italiæ, celeberrimã, omniumq. rerum neceſſariarũ opulentiſſ. vt quieto animo ad ſtudia incumberemus tradidit, vt iã maioribus hic noſter laudibns quam primus ille Hercules, ad Cælum ſit efferendus. nam ſi ille intolerandos tyrannos, à quibus Vrbes crudeli dominatu premebantur, domuit, noſter hic vitia omnia animi viribus perfregit, longeq. à ſuis ciuitatibus propulſauit. Ille innata quadam animi ferocitate armis deditus, bella tantum ſedulo perquirebat, hic vero vigilantia, ac prudentia ſua perfecit, vt ipſius populi tuta, tranquillaq. pace fruerentur, neque tamen Herculi ipſi, ſi ita ferat occaſio belli laude, armorumq. gloria inferior futurus. Equidem ſi ſingula vellem percurrere non ſolum dies, atque vox, ſed verba ipſa deficerent. Nunc profecto multa mihi de eius liberalitate eſſent dicenda, quæ cum ſemper erga omnes ingens ſit, tanta erga me ipſum fuit, vt nequeam ſatis dicere. Illud certe ſpondeo, ac in me ipſe recipio, illi ſoli quicquid vnquam in his ſtudijs profecero, tributurum, ſoli mea ſemper ſeruiet induſtria, vnumq. omnes meæ actiones reſpicient. Qui me in dies magis beneficijs ſuis deulncit, ad virtutem adhortatur, atque ad landis gloriã accendit: Nuncq. vt facillus hæc mea ſtudia ad optatum exitum poſſim perducere, hanc mihi pub. interpretandi prouinciam mandauit. Neque id vobis viri clar. mirum videri debet, quod cum nec ætate, nec eruditione hoc præſtare valeam, nihilominus tantum onus ſuſcipere ſim auſus. Nam cum magna digniſſimaq. ſit vir-

tus,

tus, nihilq. ea aut formoſius, aut amabilius reperiatur, non niſi magna difficultate eſt acquirenda, nec certè me præterit, quam ſcopuloſo difficiliq. loco verſer, attamen omnino audendum eſt, nimis enim turpe eſſet, tantis à Principe noſtro oblatis commodis mihi ipſi deeſſe, atque ipſius & aliorum hominum concitatam fortaſſe de me opinionem fruſtrari; Nam præter alia commoda, quibus ego cōtinue fruor, illud maximum eſt, quod clar. virum Io. Bap. Pignā præceptorem ſortitus ſim. Cuius ego diſciplinam eo libentius ſum ſequutus, quo magis in hac re iudicium meum ab eruditiſs. viris probari cognoui, ſed iam mihi hoc loco aliqua inſtituti mei reddenda eſt ratio, cur mihi non oratorem aliquem, ſed Poetam, eumq. Horatium interpretandum ſuſceperim, quod ego pluribus de cauſis adductus feciſſe videor, nam cum Lyrici gradiorum Poematum partes ſint, facilius me his tanquam medijs ad Poeſeos perfectionem abſolutionemq. peruenturum exiſtimaui, tanta præterea eſt Horatij carminum elegantia, tantus eloquentiæ lepos, tam copioſa ac varia eruditio, vt non immerito Quintilianus vir acri ingenij acie, & præſtanti iudicio præditus hunc ſolum inter omnes Lyricos vates, qui Romana vſi ſunt lyra, legi debere cenſuerit. Et profectò ſi illud proprium poetarum eſt, quod ipſe aliquando teſtatur, carminis ſuauitate delectare, exemplisq. hominum vitæ & moribus prodeſſe, neſcio equidem an quiſquam felicius vtrunq. adeptus ſit, quam is qui præcepit. Tantum enim in iocis flaccus noſter argutiarum, & vrbanitatis habet, tantum præterea, cum ſeria agit, in præceptis vtilitatis, in ſentētijs dignitatis, & grauitatis poſſidet, itaque abſolute eam Philoſophiæ partem, quam de moribus appellare ſolemus, complexus eſt, vt hoc affirmare non verear diuinum illum Platonem, quem ab illa commentitia ſua repub. poetas prohibuiſſe accepimus, hunc vltro fuiſſe, aſciturum. Et quidem ſi apud æquos iudices res agatur, ſine dubio hæc ita eſſe, vt diximus, apparebunt. Hæ itaque omnes fuere cauſæ, quæ vt Horatium potius quam alium quemquam explicandum ſumerem, non ſolum adhortatæ ſunt, ſed mihi etiam, quodammodo manus iniecere. Accedit & his quoq. alia, quæ apud me nec parui momenti eſſe debuerat, librum hunc ante omnes alios Principi noſtro gratum eſſe, eumq. maxime iſtius auctoris elegantia, ac grauitate oblectari. Satis igitur viri clar. huius mei propoſiti rationem reddidi; nunc aliqua de humanioribus litteris ac potiſſimum, de Poetica ipſa, quam nunc in manibus habemus dicenda remanent. Hæ itaque ſunt Rhetorice, Hiſtorice, & Poetice, quibus omnes aliæ facultates ornantur, & a quibus ea quæ per ſe impolite, & rudia ſunt, ſplendorem ac pulchritudinem accipiunt. Sed quoniam ea pars quæ maxime videtur ad nos pertinere, de Poetica eſt, alijs relictis ad eam ſolam omnem orationis meæ curſum dirigam. Primum itaque mihi oſtendendum eſt, in Poeſi ipſa quæ Poeticæ finis eſt omnes diſciplinas, omneſq. facultates contineri. Quarum aliæ, in eam confluunt, aliæ vero ab ea principia deducunt, tantum ego vobis dum de Poetica mentionem facio allaturus ſum. Iam vero primā illam facultatem, quam Grammaticam appellamus, hæc, non ſolum complexa eſt, ſed ab ea potius, & principium loquendi manauit. Cum primi omnium Poetæ fuerint qui lege quadam ac ratione adhibita loqui incœperint, a quibus deinde hæc omnes formulæ, ac normæ deductæ ſunt. Oratoriam autem artem, non ne Poetam optime tenere neceſſe eſt, nam quo pacto huius facultatis ignarus cum Poetico decoro ſuadere ac diſſuadere, accuſare, & defendere, laudare ac vituperare poſſet? Dialectica autem ea eſt, à qua ille vim ac poteſtatem verborum rectumq. ſingula ſuis locis diſponendi ordinem mutuatur. Naturalia vero nec à Poeſi, excluduntur, paſſim namq. apud probatos auctores, multa de elementis, de ſyderibus, de plantis, ac de animalibus prolata cernimus. Illa etiam ſublimior, ac magis remota Philoſophia, quæ res diuinas contemplatur, tota in ea eſt, priſca quam illa ætas Poeticam, primam quandam Philoſophiam eſſe exiſtimauit. Nec profectò ſine cauſa fictis fabulis ſapientiſs. homines, abdita illa ac recondita memoriæ tradiderunt; nolebant enim latentes res, omnibus aperiri, ſacraq. illa occulta, prompta, & aperte indicari. Cumq. furor ille Poeticus nihil aliud ſit, quam diuinus quidam ſpiritus, qui a Deo proficiſcitur, quo nos afflati mirifice mentis viribus excitamur, hoc nihil aliud quam Metaphyſicam reſpicit. Poſſem hic ego multa in medium afferre fabulis inuoluta, quæ ad Deos, eorumq. poteſtatem, ac prouidentiam pertinent, ſed hæc nimis ardua, nimis prætera ampla ſunt, quam quæ hoc exiguo temporis ſpatio tractari poſſint. Iam vero Muſicam, Harmoniamq. Poetam noſſe neceſſe eſt, quæ homini plurimum conuenit, &

qua nos maximè delectamur; ſiquidem carmina canoris numeris conſtent, quibus mirum quantum nos afficiunt, diuerſeq. & ad mærorem, & ad lætitiam impellunt. hinc illos qui cantus moderantur, Poetæ nomine appellamus, Poetáſq. canere fingimus, eorumq. opera cantus nuncupamus. Quid nunc ego de Geographia dicam, qua maxime Poeta vtitur, dum oppida, Regiones, loca, Vrbes, flumina, & portus deſcribit: quantum vero ea Poetis cognita ſint, quæ ad mores, quæ ad Politicam, atq. Oecomicam pertinent, omnes facillime videre poſſunt, qua enim ratione is vitam, & mores hominum oratione exprimeret, quod Poetæ propoſitum eſt, qui recte viuendi rationem ignoràret. Moralis autem Philoſophia id præſtat cumulatiſſime. Ipſe namque quæcunq. ad reſpub. referuntur, quæ pace, quæ bello agenda ſunt, quæ Principis officia, quæ præterea priuati ſint viri apertiſſime demonſtrant, quid etiam domino, quid ſeruo, quid filio, quid parenti, quid Matrifamilias in vnaquaq. re agendum ſit, vel luce clarius oſtendunt: certe illud concludendum eſt Poetam ſcientias omnes cognitas habere, non tamen in illis excellere eſſe neceſſarium. Ille profecto perfectior erit, qui maiorem vniuſcuiuſq. facultatem partis fuerit aſſequutus. Hic mihi iuuenes ornatiſſimi latiſſ. ſeſe offert campus, in quo ego plurimum vagari poſſem, vt vos ad huius diuinæ Poeticæ ſtudium adhortarer, in eamq. totis viribus incumbendum eſſe oſtenderem, quod ſanè tentarem, niſi certo ſcirem id neque vobis dici oportere, neque mihi ipſi tantum tribuere ætati meæ conuenire. Illud tantum dicam me nequaquam dum Poeticam ſummis laudibus effero, dumq. ad eius abſolutam cognitionem, tot eſſe neceſſaria oſtendo, vos à tam præclara egregiaq. re deterrere, quinimmo magis accendere, nec quis ille eſt tantum inertiæ, deſidiæq. deditus, qui tot propoſitis præmijs potius in turpi otio, ad omnia ineptus vitam velit degere, quam in re tam vtili, tam honeſta, atque laudabili elaborare, cum præſertim clariſſ. viros duces habeamus, quorum auſpicio viam hanc virtutis immenſam, licet nos aliquando perficere poſſe ſperare debemus. Accedit etiam ad hoc id quod ſuperius quoque dicebam, tantam eſſe Principis noſtri erga omnes beneuolentiam, tantamq. præterea Hippolyti Cardinalis, cuius nomen reuerentiæ eſt pleniſſimum, erga litteratos homines liberalitatem, vt facile vnumquemq. vel inertiſſimum ad virtutem excitare poſſint. Reſtat nunc viri clariſsimi, vt mirificas ego vobis gratias agam, qui me hodie ingenti hoc beneficio affeciſtis, incredibilemq. erga me humanitatem præſtitiſtis, quibus quamqàm à me ea gratia referri non poſsit, quæ debetur, illud certe ſpondeo, illud me exhibiturum affirmo perpetuam maximi huius muneris memoriam apud me fore, tantamq. gratiam me vobis habiturum, quantam maximam animus meus poſsit ſuſcipere. Vos autem litterati iuuenes, qui innata quadam animi benignitate ducti ſingulari hoc merito me deuinxiſtis, quod ego in animo trabali clauo firmabo, quos mecum honeſtiſsimorum ſtudiorum ſocietas, ſimilitudoq. coniunxit: vos ego, inquam, oro atque obſecro, vt cum libitum erit, cum per negocia veſtra licebit me feſtis diebus Horàtium interpretantem, aliquando audire moleſtum non ſit. æquum eſt enim vos puero virtutem cupienti auxiliari, eundemq. qui hæc dediſtis initio ad finem perducere, veſtra namque ea omnis erit laus, cum omnibus clarum erit ciuem Romanum magis in aliena Vrbe, quam in patria ad honorum gradus aſcendiſſe. Ego vero quantum in me erit mihi ipſe non deero, vobis enim dicere nefas eſt, vt ſi minime quod mihi propoſui perfecero, illud me conſoletur, egregijs inceptis meis non animum, ſed vires defuiſſe. D I X I.

ORATIO SECVNDA.

Quam Ferrariæ cum aperiretur Gymnaſium in feſto S. Lucæ pene puer habuit.

CVM mihi viri clariſſimi de re maxima, ac difficili, quæ tota in huius feliciſſimi Gymnaſij, litterarumq. laudibus verſatur, ſit dicendum, idq. apud maximos viros acturus ſim, ſine dubio ad tantum munus peragendum me eloquentiſſimum, eſſe debere eſſet opus. Sed quoniam in re ardua, nec à doctioribus improbari ſolet, licet propoſitum finem aſſequi nequeas, magnum aliquid audere, intrepidumq. animum præ te ferre, ego hanc prouinciam meis humeris omnino imparem, ſiquidem nec vſu, nec ingenio ſatis poſſum, pro viribus jn cõſpectu, conſeſſuq. veſtro nobiliſſimo ſuſcipere non deterrebor. Tot ſunt profectò litterarum facultates, quot ſunt res quæ huius vniuerſi orbis complexu continentur; hæ vero ſunt diuinæ, naturales, & humanæ. Primoq. loco ex diuinis metaphyſica oritur, quæ iure ab omnibus reliquarum ſcientiarum nobiliſſima ſemper eſt habita: nam cum ex diuerſis actionibus, diuerſi quoq. fines deriuentur, quorum omnium vnus, maxime à mortalibus expetendus, eſt perfectiſſimus, qui in diuinarum rerum cogitatione poſitus, hunc metaphyſica duce, quæ ſola perfectam, & abſolutam contemplationem in ſe continet, homines aſſequuntur. Hanc vero cum à prima cauſa ortum ducat, non dubium eſt omnes alias facultates nobilitate anteire, propterea quod res diuinæ tales ſunt, vt ab ipſis omnium aliarum rerum principia tanquam à quodam primo fonte manent, ac defluant: & quid Deus bone diuina meditatione homini optabilius? Si cum ipſi mortales quantum noſtræ patiuntur vires, eniti debeamus, vt Deo Opt. Max. ſimiles efficiamur, hac ſola quod tantum cupimus adipiſci poſſimus? noſq. in cæno humanorum affectuum volutatos, ita ad hæc altiora accendere, vt melioris vitæ dulcedine allecti, ex hac vita quæ potius mors eſt, migraſſe quodammodo videamur. Deinde naturales ſequuntur, ex quibus Phyſica, cui ſecundus tribuitur locus principium deducit. Phyſicæq. facultati Mathematica quoq. adiungitur: rerum autem naturalium ſtudium, Socrates ille Philoſophorum ſapientiſſimus condemnauit; hanc ſecutus opinionem, quod inutile, atque incerti finis eſſet; ſed cum aliqua ſint, quæ ad vtilitatem, aliqua vero, quæ ad nobilitatem tendunt; quæ quidem nobilitas meliori animæ parte vtitur, poſitaq. eſt in contemplatione, hæc inquam, vt eo quò intendit, ad diuina ſcilicet perueniat, per hæc naturalia permeat, ac tranſit: quæ licet veram minime præ ſe ferant felicitatem, efficiunt tamen vt ipſis medijs, finem illum omnium perfectiſſimum potiamur. Mathematica autem hoc vno eſt præcipue laudanda, quod dum demonſtratione vtitur, veram efficit ſcientiam, quod ſi anceps doctrina nos plurimum delectat, quanto magis, quæ certa eſt animum noſtrum maiori voluptati perfundet? Tertio deinde loco res humanę ſubſequũtur, ex quibus ciuiles fiunt facultates, Ethica ſcilicet, Politica, & Economica; & primum ea Ethica eſt, quæ hominũ mores format atque effingit, quæ res in hac mortali vita eſt potiſſima, nã quanti ſit momenti homines ab ineunte ætate recte eſſe inſtitutos, vel vnius Platonis auctoritate probare poſſumus, qui tanti prima fecit principia, vt affirmaret eos; deinde ita bonos, aut malos euadere, prout eorum aut bona, aut mala prior fuerat inſtitutio: certum enim eſt prius moderandos eſſe animi affectus, & ad medium redigendos, vt facilius veram aſſequamur felicitatem: nam qui recte prima vitæ rudimenta tenuerit; is non ſolum plus dimidio, ſed totum fere eſt aſſecutus. Sed iam ſub Politica ſermo eſt omnis, legesq. quibus Vrbes gubernantur, vniuerſusq. orbis adminiſtratur, ſunt laudandæ: quæ Deum Opt. Max. imitatæ vnicuiq. prout egerit, aut pœnas, aut præmia tribuunt, bonos extollunt, & ab occultis malorum inſidijs tutantur; malos vero aut meritis ſupplicijs afficiunt, eoſq. à bonorum commercio arcent, aut ad laudabiliorem vitam reducunt.

cunt. Et quod profecto homine peius eſſet animal? niſi enm ab explēdis animi, ac corporis cupiditatibus leges repellerent? Et quo nam pacto primi illi virorum efferati animi ad Vrbes conſtituendas Incolendasq. aſſociati eſſent niſi legibus? Quas non homines proprio ingenio excogitarunt, ſed à communi omnium matre natura, ſunt ad communem omnium vtilitatem procreatæ? vt ſic inter homines virtutes continuo extollerentur, vitia autem iuſta ſæuitia opprimerentur, lex ſiquidem recti præceptio, praui vero eſt depulſio; & proculdubio ſi quid boni in hoc terrarum Orbe habemus, ſi tuti ab effrenata aliorum violentia ſumus, ſi noſtra poſſidemus, ſi poſtremo vitam ducimus, id totum optimis legibus eſt tribuendum; quarum quanta ſit magnitudo, ex hoc facile dignoſci poteſt, quod magiſtratus hij fuerint, qui non ſolum priſcis, verum etiam noſtris temporibus, ſemper totius orbis gubernacula tenuerint. Atque hoc quidem de iuris legum arte; altera vero, quæ,in repub. neceſſaria, quæq. interpræta:ionibus à ſcientia petitis indiget; ad medicinam refertur. Poſtea Medicina ſequitur, cuius ope omnis mortalium vita nititur: hæc enim ſanos cuſtodit, ægrotos vero priſtinæ ſaluti reſtituit. Quod porro humano generi quantæ vtilitatis fructum præbeat, ſuperuacaneum eſt dicere. Nam cum anima noſtra hoc corpore tanquam inſtrumento quodam in actionibus vtatur, certum eſt eam infirmis corporis viribus à reliquis rebus peragendis eſſe impeditam; nam tantum naturæ ægra valetudo eſt repugnans, vt ab ipſa medicamenta parata fuerint, quibus graues morbi ab affectis membris pellerentur. Hanc certe Medicinæ facultatem fabuloſa illa antiquitas; adeo ſpectauit, rem diuinam eſſe exiſtimans, vt eius inuentores Deorū numero adſcripſerit, templiſq. ac ſacrificijs eorum Numina ſit proſecuta. Deinceps ſequitur Economica, quæ familiaris eſt cura, plurimi equidem facienda, nam vt totum ciuitatis corpus recte formetur, neceſſe eſt membra ad id habere quæ niſi permaneant, ciuitas ipſa nullius ope nixa citò corruet. Siquidem ex propria omnium ſalute, communis ciuitatis ſalus dependet. Ad has vero omnes facultates, de quibus locuti ſumus, ingreſſus eſt Dialectica, quæ artium ars, ſcientiarumq. ſcientia eſt appellata, qua vera à falſis diſcernimus, differendiq. rationem ediſcimus, nam quid quamq. rem ſequatur, & quid cuique ſit contrarium, demonſtrat: inſuper hæc rationem habet, ne cui falſo aſſentiamur, aut captioſa probabilitate fallamur; aliter enim facile à vero abduci poſſemus. Hæ vero omnes res humanioribus litteris ornantur, & maiori venuſtate ac pulchritudine augentur. Hæ ſunt poetica, rethorica, & hiſtoria. Et primum de poetica, quam diuinitus nobis traditam eſſe, ab eruditiſsimis viris accepimus, nam cum ceterarum rerum ſtudia, doctrina, arte, & præceptis conſtent, ſola poeſis à natura ipſa nobis tribuitur, & quaſi diuino quodam ſpiritu infunditur, quæ tanti ab antiquis æſtimata fuit, vt ſolum inter homines poetam ſapientem eſſe crederent. Solebant Græci liberos ſuos à pueritia, in poeſi erudire, vt viuendi rationem, moreſq. carminis blanda iucunditate allecti facilius edi:cerent, ac retinerent: plurimum enim ob armoniam homini conueniens eſt, quæ ita nos in carmine demulcet, vt anima cæleſtis illius armoniæ memor, eius cōſequendi deſiderio flagret, atque inflammetur. Nunc ad rhetoricam deuenio, quæ recte dicendi eſt ars, non parum in bene conſtituta ciuitate neceſſaria, propterea quod eloquentia, adeo cum ſapientia coniuncta eſt, vt altera ſine altera paulùm proſit, obeſſe vero multum poſsit. Licetq. non nulli aſſerant, plus mali eloqnentiam quam boni ciuitatibus attuliſſe, nos tamen ſi eloquentiam ſapienti viro tribuamus, nihil ab ea niſi boni proficiſci poſſe credere debemus. Nam ſi inſpiciamus quot commoda à dicendi arte profecta ſint, in dieſq. prouenian t, infinita propemodum erunt, hac enim ſola homines cum diſperſi vagarentur, cultuq. omni carerent, ad politiorem vitam deducti ſunt: hac præterea perſuaſi, in vnum locum conuenere, Vrbes conſtruxere, legesq. quibus parerent acceperunt, & vt fidē iuſtitiamq. colerent, ſunt inſtituti; hæc tandem diuerſis in rebus, belli, paciſq. cum magna hominum vtilitate verſatur; hæc plurima reſtinguit bella ſocietateſq. firmat, interq. inimiciſsimos firmiſsimā amicitiam ſæpiſsime comparat. Poſt Rhetoricam Hiſtoria ſequitur vitæ humanæ plurimum conferens, quod in ipſa præclarorum virorum vitam, & mores, geſta, atque conſilia cernimus, qua diſciplina, quibuſq. conſilijs maxima imperia orta ſint, & aucta cognoſcimus: hæc nos bonorum præmia, malorum pœnas docet; noſq. ex aliorum præclare geſtis, ad virtutem accendit, ex male actis a vitijs dehortatur, pulchrū enim bonorum virorum vir-

tutes imitari,pulchrum quoque ex alienis erratis vitam in melius inſtituere; adde quod ab hac diſcimus,quibus rebus maxime Cæſares immortale ſibi nomen cõparauerint, qua diligentia infimi viri ad ſublimiores gradus euaſerint, quo ordine res ingentes domi, foriſq. ſint adminiſtratæ, nos namque tales viros imitari aſſueſcimus, eorumq. exemplo res noſtras diſponimus, ſic enim accepimus Alexandum Cæſarem facere aſſuetum, vt nunquam de bellicis negotijs deliberaret,niſi hiſtoriarum peritos conſuluiſſet, vt ſic ex aliorum caſibus rerum ſuarum exitum colligeret. Linguæ vero cum humanioribus litteris coniunguntur, Græca, & Latina, quæ hodie publicos habent interpretes, adeoq. inter ſe coniunctæ ſunt,vt altera ab altera dependeat, nec vnius abſoluta cognitio haberi poſsit, niſi alteram quoque quis recte calluerit, ambo itaq. ediſcendæ, cum ambo pari modo ſint neceſſariæ. Vt vero viri clariſſimi hæ omnes facultates,quas recenſuimus,à ſtudioſis adoleſcentibus percipi poſsint, primo locus eſt conſtituendus,deinde magiſtri,qui hæc publice præcipiant, inueniendi,tertioq. loci perſonarumq. cura eſt adhibenda. Ferrariam celeberrimam Italiæ Vrbem ad Gymnaſium inſtituendum aptiſsimam eſſe, nemo eſt, qui dubitet; hic enim ſalubris aer, commodæ ad inhabitandũ domus omniumq. rerum neceſſariarum copia, nam tum per ſe fertiliſsima eſt Vrbs, tum quoque Padi fluminis commoditate huc quamplurima ad vitæ vſum neceſſaria,ex diuerſis regionibus afferuntur: diuerſarum autẽ diſciplinarum profeſſores, partim conſtitutis ſtipendijs vndiq. acceſſuntur, partim etiam ciuitas ipſa, plures variarum doctrinarum peritiſsimos, & ad id maxime idoneos quotidie magis alit, atque progenerat: & iam xiij. agitur annus,quo ex aduenis inter pub. interpretes, Vincentius Madius vir cum Philoſophiæ peritia, tum morum præſtantia ſpectabilis accitus fuit, qui non modo quotidie inuigilat ne aliquæ inter condiſcipulos, aut ciues ipſos oriantur rixæ, quas ſua prudentia, auctoritateq. citiſsime reſtinguit, pacemq. & amicitiam inter omnes conciliat, ſed tales etiam in dies ad Philoſophiam adoleſcentes inſtituit,vt non ſolum ſibi,reliquiſq. immortalem famam comparauerit, verum etiam huic noſtro ſæculo, obſoletam fere Philoſophiam reſtituerit, ita vt inter ſapientes omnes Principem locum teneat. Et eodem tempore Alciatus ad publicum munus exercendum accitus, qui adeo in legibus excelluit, vt omnibus ſui temporis ſuperatis, iure quoque antiquioribus doctrina æquari poſsit, qui poſtquam plurimos ſui ſimiles, ad legum ſtudia educauit magnum ſui deſiderium omnibus relinquens, fato functus ad ſuperos conceſsit; cuius vicem gerit nunc Perinet. Parpallea omnium bonorum applauſu paulo ante ad hoc publicè interpretandi munus aduocatus,qui dum apud Taurinos Senator, Auineone publicus legum explanator eſt, talem ſuæ doctrinæ,& integritatis, erga omnes opinionem comparauit, vt non immerito à Duce noſtro, maiori auctus munere à conſiijs iuſtitiæ ſit factus. Loci autem perſonarumq. regimen feliciſsimus eſt Hercules Ateſtius, Ferrarienſium Princeps, cuius liberalitate hoc publicum Gymnaſium floret, qui minime primo Herculi virtute inferior,veros Heſperidum hortos omnibus aperuit. Vitijſq. expulſis, & dracone interempto, aurea virtutis mala vnicuiq. præbet, vt vel hoc vno feliciſsimam ætatem noſtram appellare liceat,qui tales nobis tradidit fructus, quibus vera vita comparari poteſt, Publicis deinde præeſt rebus, Galeactius Ateſtius Taſſonus, qui quemadmodum in Alphonſi Ducis periculis ac rerum diſcrimine, conſtantis, ac imperterriti animi fuit, & à negotijs gerendis, grauis, & prudens extitit, ſic quoque in tranquillo ac felici Herculis dominatu,vires,ac ingenij magnitudinem patefecit, proptereaq. præter alios magiſtratus,honoriſq. gradus huius Gymnaſij curam meruit, cui in hac adminiſtratione, Antonius Muſa Braſouolus, ſpectatæ probitatis vir, artiſq. Medicæ peritiſsimus, ſocius fuit: & iam agitur annus, quo ille omnium bonorum mærore, ſupremum diem obijt, licet adhuc viuat, tales enim ſuarum vigiliarum habemus fructus, taleſq. diſcipulos,vt vna, quæ breuis erat, & incerta vita amiſſa aliam certam, ac perpetuam conſecutus eſſe videatur, in cuius locum Bartolomæus Mirolius, qui huius ciuitatis Prætor, & Principis à conſilijs ſecretis quoq. eſt, ſubſtitutus fuit, qui licet aſsiduis laboribus tantorum magiſtratuum ſit detentus,admirabiliq. ingenio ac prudentia infinita propemodum, maxime dignitatis munera adminiſtret, atque obeat, nunquam tamen vt ſtudioſis, nihil quod neceſſarium eſt deſit,quieſcit. Reliquum eſt iuuenes nobiliſsimi, vt poſt litterarum laudes loci, perſonarumq. commoditatem, ac ſapientiſsimi Ducis erga omnes beneuolentiam. Omnes, vt aiunt, neruos ad hoc

virtutis

virtutis ſtadium percurrendum intendamus, & quo magis poſsumus priſca æquare tempora enitamur; nec deterreri debemus, nos non poſſe id culmen contingere, quod ab antiquioribus illis paucis admodum ſit conſecutum, quinimmo magis accendi debemus quod ipſis ducibus vtimur, breuioremq. viam, quam ipſi habuerant habemus, quod ſi aſsidui labores, atque vigiliæ, nos à tanto opere amouent, nobis, quæ præmia conſecuturi ſcimus, ante oculos proponamus, cenſeamusq. tanto maiorem futuram laudem, quanto maiores ſunt a nobis labores, ſuperandi. Sic enim non labores, ſed præmia, non breues dies, ſed perpetuam vitam reſpicientes, alacri animo omnia pericula ſuperabimus, æternamq. apud poſteros famam conſequemur. DIXI.

ORATIO TERTIA.

De laudibus eloquentiæ.

Ferrariæ habita cum Ciceronis Milonianam interpretaturus eſſet.

RES ſanè admodum dubia, controuerſaq. antiquis fuit, vtra duarum præſtantiſsimarum artium pingendi ſcilicet, & fingendi (quam Sculpturam vocant) alteri eſſet præferenda. Nec profectò iniuria. Nam cum ambæ in naturæ imitatione verſentur, primo quidem hæc, expreſſa quadam, ac ſolida effigie, adeo decorè, & venuſtè, omnium animantium formas, lineamenta, membrorumq. compoſitiones exprimit, vt nihil propius ad naturæ ſimilitudinem poſſe accedere videatur. Altera deinde, quæ coloribus vtitur, dum rectè pigmenta aſpergit, dum vmbras, eminentiasq. prudenter obſeruat, dumq. tabulas varijs coloribus diſtinctas, bono in lumine collocat; ita oculorum aciem perſtringit, vt non ſolum animalia, ſed ſæpe etiam homines falſa rerum ſpecie decipiat. Non itaque mirum eſt, cum vtraque tantum poſsit, ſi quamplurimi de earum excellentia ambigerunt. Sed tamen ſi aliqua reperiretur ars, quæ non modo vtrûq; quod in illis admirabile eſt, cumulatiſſimè præſtaret; verum etiam, quod multo difficilius iudicatur, animos ipſos iucunda, ac nitida quadam pictura effingeret, quotus quiſq; eſt, qui dubitet, longè hanc ceteris duabus antecellere? Ea autem, viri clariſſimi, eſt eloquentia. De cuius laudibus, veſtra cum venia, hodie mihi (iuuante Deo) ſi minime pro tantæ rei amplitudine, ac dignitate, certe quantum in me erit, eſt dicendum. Primum itaque ſi libet eloquentiam cum pictura comparare, quid ea eſſe poteſt ornatius? quid pictius? tot enim coloribus eſt diſtincta, tot figuris ornata, atque adeo varia elocutionis conſtructione, & elegantium verborum copia, tanquam lectiſſimis floribus, illuminata, vt nihil ſplendidius, nihil politius, nihil deniq. ad delectandos animos, multiplici illa varietate, aptius inueniri poſſit. Sculptura vero, Deus bone, quantum huic concedit, nam quid vehementius omnes res exprimit? quid illas ante oculos facilius ponit? quid altius in audientium mentibus omnes motus, omnes animorum affectus ſignat, atque exprimit? Hinc eſt quod ſummi illi, & perfecti Oratores, qui optimis temporibus floruerunt, orationis aculeos emittere, tonare, ac fulgurare dicti ſunt. Quæ enim ſunt illa in Philippum Græciam occupantem fulmina? quæ Principis eloquentiæ in Antonium, & Catilinam Romanæ Reipublicæ euerſores? At vero eloquendi vim, maximam eſſe omnes fatentur. Quid igitur nunc de eius innumerabilibus, diuiniſq. erga humanum genus beneficijs dicemus? nam ſi ab vltima antiquitate, altius rerum principia repetere voluerimus, procul dubio inueniemus quicquid boni, quicquid præclari, ac iuſti in hac vitæ communione ab immortali Deo nobis tributum eſt, id totum ab eloquentia, tanquam à fonte pleniſſimo fluxiſſe. Siquidem hæc prima vrbes, & ciuitates conſtituit, hæc agreſtes, atque immanes homines,

mites, & manſuetos reddidit; hæc ſola, lumen illud vitæ, Rationem, qua nos maxime ceteris animantibus præſtamus, è Cælo reuocauit. Etenim, qui fieri poterat, vt in illa rudi antiquitate ſtolidi homines, ſine eloquentiæ præſidio, ad Dei cultum, ad modeſtiam, ad ius deniq. erudirentur? Ponite, quæſo, vobis ante oculos vitam illam horridam, atque incultam, homines inſolentes, omnis rationis, & humanitatis expertes, qui in agris diſperſi beſtiarum ritu vagarentur, nulla eſſet religionis ratio, nullus liberorum amor, nulla legitima coniugia, nullus deniq. vitæ cultus: ſed omnia cæca temeritate regerentur, omnia effrenata cupido adminiſtraret, omnia luctus, ſqualoris, ſolitudinis eſſent plena, o bone Deus quæ vita hæc fuiſſet? vel potius quæ mors? Huius itaque admirabilis facultatis ope, naturam ducem ſequendo, noſtraq. inuicem conſilia, & animorum ſententias explicando, primo, in vnum congreſſi, feram vitam exuimus, deinde etiam Vrbes ædificauimus, leges tulimus, multæq. præclare artes à nobis ſunt excogitatæ. Nec illud tacebo, quod vere diuinū in eloquentia eſt, quod cum ſola ciuitates condiderit, ſola quoque fortiſſimis prudentiæ armis, tuetur, ac defendit. Nam quod telum improbis, infenſius eſt oratoria facultate? contra. Quod publicæ libertatis aut ciuium ſalutis firmius præſidium? hæc bonos, præſtantesq. viros ornat, hæc ſceleratos oppugnat: hæc nocentes pœna, iuſtos præmio afficit. Adeo vt miſera illa ſit Ciuitas, citoq. peritura, in qua, recte dicendi ſcientia non viget. Poſſem hoc ego, pluribus clariſsimarum ciuitatum exemplis comprobare, ſed vna mihi ſatis ſit Romana reſpublica, quæ cum ab illa felice Bruti eloquentia, ortum habuerit, florente eloquentia floruit, eaq. tandem tanta cum Vrbis pernicie ſublata, ipſa quoque ingenti Principis terrarum orbis Populi ruina, tamquam adempto adminiculo concidit. Ad hæc vero, quæ nunc à me expoſita ſunt, illud etiam accedit, quod ſingularis hæc eloquendi vis, non in pace tantum, domiq. eſt vtilis, ſed foris plerunq. & in bello, ſalutaris, ac fructuoſa. Verum mihi ad reliqua properanti, in vnaquaq. re commorari longum eſt: etenim quid commemorem reſtincta bella? quid ſancita fœdera? quid amicitias? quid ſocietates, ſola dicendi copia comparatas? Quid? ſi eloquentia non extaret, quibus frenis imperitæ multitudinis animi regi poſſent? quibus cancellis, aut ſeptis tam immanes belluæ continerentur? Hæc illa eſt cæleſtis facultas, quæ fluctuantem inſano motu populum lenit; hæc amentia præcipitem, & imprudenti licentia diſſolutum reprimit, hæc miſerorum calamitates ſubleuat, innocentes defendit, improbos deterret. Hæc deniq. pacem inter Ciues, communemq. ſocietatem coniungit, atque conciliat. Hic mihi nunc illud in mentem venit, quod clariſsimis Romanarum rerum monumentis teſtatum eſt, de Menenio Agrippa. Cum enim aliquando plebs Romana, trans Anienem amnem, in Sacrum Montem ſeceſsiſſet, magnaq. inter nobiles, & plebeios, ſeditio eſſet conflata; ſolus hic acutus, vrbanusq. orator, ficta quadam, & eleganti fabella, atque ea quidem, maxime ad rem de qua tunc agebatur, accommodata, omnes iras, diſcordiasq. inter illos placauit, & bellum inteſtinum, magno reipublicæ malo excitatum, ſine vllo tumultu reſtinxit. Tanta eſt eloquentiæ vis, adeoq. ſententijs grauis, & verbis perpolita oratio, hominum voluntates, quo velit impellere poteſt. Quod ſi magni Reges, omnia pericula pro imperio ſubeunda eſſe ceſſent, quanti facienda eſt eloquentia, qua non ſolum regna obtinere, ſed Regibus etiam ipſis poteſt imperare? Quantam creditis in illa mirabili Neſtoris vbertate dicendi, ac copia fuiſſe auctoritatem? nam quid illud eſt? EX NESTORIS LINGVA MELLE DVLCIOR FLVEBAT ORATIO. Quantam præterea in Vliſſe? ex cuius ore ver ba hibernis niuibus ſimilia exibant? quid dicam de Hercule illo Gallico? qui cum aureum orationis flumen funderet, aureis cathenis hominum aures illigare, eſt dictus? hoc, hoc, mihi credite, vere eſt imperium habere in homines, animos ſcilicet poſsidere, illisq. iura, leges præſcribere. Sed hic mihi, antequam longius procedam, nonnullos refellere opus eſt, qui eloquentiam, tamquam pernicioſam humano generi artem, accuſant. Illosq. qui in dicendi exercitatione operam conſumunt, aſsiduò criminantur. Aiunt enim, maxima quotidie ciuitatibus incommoda, per diſertiſſimos viros inuehi: qui dum hac facultate iniuſte vtuntur, ſæpe improbos defendunt, ſæpè innocentes oppugnant. Itaque efficiunt, ne illi debitas ſuorum flagitiorum pœnas perſoluant; hi vero, nihil tale meriti nefarijs cruciatibus afficiantur. Addunt etiam. illos, omnes populi motus, omnes diſſenſiones concitare, ſuisq. ſeditioſis concionibus, ciuilem tranquil-

litatem

litatem exagitare. Ego autem de iſtis, qui adeo inimicè eloquentiam inſectantur, libenter quærerem, quid non ita fortitudinem, diuitias, corporis robur vituperent? quando iſta quoque, ſi perperam homines vtantur, per multa detrimenta afferre poſſunt. Quare mihi videtur, non hoc eloquentiæ vitium eſſe, ſed eorum qui ea peruersè abutuntur. Quo magis eloquentiæ ſtudendum eſt, vt illis reſiſtamus, qui ſua temeritate rem honeſtiſsimam violant. Qui ne Oratoris quidem nomine digni ſunt, ſed potius, audaces, & temerarij homines, communisq; bonorum pernicies ſunt appellandi. Nunc vero, poſtquam ijs pro virili parte reſpondimus, operæ pretium eſt, ex quorumdam mentibus veterem, ac penitus inſitam opinionem euellere. Sunt enim aliqui, qui in animum induxerunt ſuum, ingenuis artibus, nihil eloquentia opus eſſe, & idcirco quo magis barbarè, & inquinatè loquuntur, eo maiorem ſe ſcientijs dignitatem afferre arbitrantur. Quem quidem, illos redarguendi laborem, mihi eloquentiam laudanti neceſſarium; ea quoque de cauſa libenter, cupideq. ſuſcipiam, quod cum multi, & varij hic ſint ſtudioſorum conuentus, qui vt de eorum diſciplinis aliquid à me dicatur, auide expectant, præclarè Hercule, mecum agetur, ſi vna & eadem opera, falſas illorum opiniones infregero, horumq. honeſtiſsimo deſiderio ſatisfecero. Ad vos itaque iuuenes, veræ & ſolidæ gloriæ, quæ ſola virtutis præmium eſt, ſtudioſiſsimi, orationem meam conuerto. Et vt primum a Philoſophia incipiamus, quæ omnium benefactorum, beneq. dictorum eſt mater, ea quidem in tres partes eſt diſtributa. Prima quæ in naturæ inueſtigatione verſatur: altera quæ de vita, & moribus diſputat: tertia quæ diſſerendi ſubtilitatem continet. Num aliqua iſtarum partium eſt, quæ ſplendidæ orationis luminibus illuſtrari non deſideret? nulla certè. nam ſi in rerum naturalium ſcientia multa ſunt obſcura, multa tortuoſa, multa tenebris, & caligine inuoluta, quid (quæſo) optatius fieri poteſt, quam illis verborum ſplendore lucem afferre? Resq. natura ſua maxime tenebricoſas, diſtinctè, dilucidè, & apertè dicere? Relinquo autem, ac tacitè prætereo ſecundam Philoſophiæ partem, de moribus tractantem. Nam quid hoc comprobare neceſſe eſt, ſi res etiam tacente me, loquitur ipſa? ſiquidem quis adeo vecors, atque amens eſt, qui non planiſsime videat multum intereſſe, vtrum pulcherrima aliqua margarita, aut gemma, plumbeo, an aureo ornatu fuerit illigata. Quare iam ad tertiam partem, quæ Dialectica appellatur, me confero, in qua Sophiſtæ quidam, dum omnia verba inuſitata, dura, odioſaq. deligunt, dum infantiſsimos quoſque, ieiuno, atque exili dicendi genere imitantur, dumq. gloriæ ſibi ducunt non poſſe intelligi, atque perinde loquuntur, & ſcribunt, vt ſi Oracula funderent, adeo perturbauerunt omnia, vt nihil fœdius, nihil inquinatius iſtorum ſcriptis legi poſsit, nec vident dementes, nihil aliud hoc eſſe, quam rem per ſe difficilem maiori difficultate implicare, ac quodammodo tenebris, tenebras offundere, quod ſanè cum admodum eſt inſulſum, tum etiam maxime pernicioſum. Iam itaque ſatis vt puto declarauimus, ijs qui Philoſophiæ ſtudijs ſe dedunt in primis dicendi copiam eſſe neceſſariam. Idem etiam in cæteris facultatibus facile probari poteſt, ſunt enim Medicina, & iuris ciuilis ſcientia, quæ ambæ ſub Philoſophia numerantur, nam altera ad eam partem quæ de natura, altera ad eam quæ de moribus eſt, reducuntur. Et quidem in Medicina, hi ſemper primas tenuerunt, qui non eruditè, ſolum, ſed ornatè, enucleatè, luculenter ſcripſerunt. Siquidem illi palma deferenda eſt, qui res obſcuras, & recondita doctrina affluentes, pura ac perlucida oratione veſtit: Simulq. eruditionem, cum elegantia conglutinat. Etenim nimis moleſtum odioſumq. eſt illorum animos, qui in quærendo defatigati ſunt, dura etiam, & ſpinoſa oratione torqueri. Iuris ciuilis autem ſcientia, quæ (vt dicebam) moralis Philoſophiæ pars eſt, adeo ſermonis candore illuminari gaudet, vt illius leges non politè modo, & eleganter ſint ſcriptæ, ſed ſolæ penè Latine loqui videantur. Nam quid præclariſs. illis Iuris Conſultorum monumentis limatius, aut nitidius legi poteſt? vbi (quæſo) verborum proprietatis magis religioſa obſeruatio? Iacuit hæc quidem præclara, nobilisq. diſciplina per multa ſæcula in ſordibus quorumdam commentariorum, quæ illam perditiſſimis temporibus tetris tenebris obſcurauerant, lucemq. omnem eripuerant. Sed iam illa caligo diſcuſſa eſt. Quandoquidem non tulere diutius præſtantia multorum ingenia ſanctiſsimam hanc facultatem, ſine qua non Vrbes, non Regna, non hominum communio, & conſociatio, ſtabilis permanere poteſt, alieno ſqualore, ac ſordibus obſoleſcere. Itaque iam ad priſtinam caſtitatem, quæ ei ſemper maxime adhæſit, eſt reuocata.

Itaq. pulcherrima, & vtiliſſimæ dicta prudentum, & ſapientum reſponſa, antiquam dignitatem recuperant, atque a Barbariæ fluctibus emergunt. Quapropter quantos vtilitatis fructus, hominum generi eloquentia præbeat, quam magnum præſidium, & propugnaculum bonorum ſalutis in ea ſit, quantum præterea luminis, & ornamenti cæteris liberalibus doctrinis adiungat, ſatis ſuperq. dixiſſe videor. Nunc vero quod ſupereſt, optimi, atque honeſtiſſimi iuuenes, paruo labore, vobis perſuaderi poſſe arbitror; nimirum vt politiſſimam iſtam eloquendi rationem, ampleċtamini, atque auidè arripiatis: video namq. vos, gloriæ facibus, ad virtutis curſum, vehementer inflammatos. Attamen ſi licet currentibus calcar admouere, per illam vos ego eloquentiam, quæ præclarum Dei donum eſt, & inuentum, per ingenia veſtra, per opinionem, ac ſpem, quam de vobis apud omnes concitaſtis, oro, atque obteſtor, vt vna ſimul hanc ineamus viam, huc omnes vires omnem mentis aciem intendamus, atque hanc copioſè loquentem ſapientiam, quæ omnibus rebus lucem affert, in ſtudiorum noſtrorum auxilium vocemus. Semper nobis animo, ſemper ante oculos, ſummi illi, omniq. laude cumulati oratores obuerſentur; Græci quidem, Pericles, Thucydides, Gorgias, Iſocrates, Lyſias, Aeſchines, Demoſthenes, alijq. innumerabiles. Romani vero, Cethegi, Catones, Gracchi, Galbæ, Craſſi, Antonij, Hortenſij, Cicerones, ceteriq. quos enumerare, longum eſſet. Horum enim celebre, ac clariſſimum nomen nulla vetuſtas obliuione obruit, nulla delet antiquitas. Siquidem nullis temporum iniurijs ſubiecta eſt eloquentia; nec ſæculorum multitudinem pertimeſcit. Hanc igitur perpetuitatis procreatricem, ſumma alacritate ſequamur; vt ſi fieri poſſit, nos quoque ô Iuuenes exiguum vitæ curriculum, illuſtribus monumentis producamus. Ego autem quoniam hac cohortatione maximè indigeo; quippe qui ab huiuſmodi purè, & Latinè loquendi dignitate, quam longiſſimè abſum. Vt facilius me aliquando ex Barbariæ tenebris eruam, atque in aliquam dicendi lucem emergam, Ciceronem, illum inquam Ciceronem, Romanæ eloquentiæ parentem, hoc mihi anno ſumpſi, quem his meis iuuenilibus exercitationibus explicarem. Arduum ſanè opus, & præſertim mihi, qui ingenij mei imbecillitatem optimè noſco. Sed tamen omni ope enitendum eſt, quando Deus immortalis, non niſi multo ſudore, ac labore, nos virtutem conſequi voluit. De te autem M. Tulli, quid dicam? Ego ne humilis homunculus, te ſummum virum, te Patriæ ſeruatorem, & Patrem, te Romanæ eloquentiæ clariſſimum lumen, dignè laudibus ornabo? Non mihi tantum aſſumo, non tantum de me ipſe promitto, atque arrogo, nec ingenij viribus ad tantam gloriam aſpiro. Te per hunc latiſsimum campum, vnde eſt curſus, ad virtutem apertus, Ducem ſequimur. Tu nobis germanæ, & ſolidæ eloquentiæ cupidis dexteram porrige, vt ex te, tamquam de pleniſsimo fonte, dulces, ac ſuaues, puriſsimæ orationis aquas hauriamus. Illud vero nunc viri clariſsimi ſupereſſe videretur, vt vobis, pro ſummo hoc beneficio, quo me hodie affeciſtis, maximas gratias, & agerem, & haberem. Sed non eius generis veſtra erga me merita ſunt, quibus putem, exiguo hoc temporis ſpacio, breuiq. illorum commemoratione, me ſatis eſſe facturum. Itaque iam non ago vobis gratias; non enim fieri poteſt, vt quibus re vix referre poſſum, verbis tantum ſatisfaciam. Vos verò Nobiliſsimi, ac litterati Iuuenes, qui me ſemper germano, ac fraterno amore dilexiſtis, ſemper (quæ veſtra fuit humanitas) dignitati, & honori meo fauiſtis, vos inquam etiam, atque etiam oro, & obſecro, vt me feſtis diebus Milonianam Ciceronis Orationem, de ſuperiore loco interpretantem, cum libuerit, cum commodum fuerit, cumque animos à grauioribus ſtudijs, releuare, ac quodammodo recreare volueritis, amicè audiatis. Decet enim vos eandem beneuolentiam, quæ mihi tertio ab hinc anno perſpectiſsima fuit, his quoque temporibus præſtare: veſtraq. erga me merita hoc magno cumulo augere, quod ſi (ſicuti planè confido) feceritis, cum rem præcipue humanitate veſtra dignam feceritis, tum ego etiam, quoad per me fieri poterit, enixe operam dabo, vt cognoſcatis, vos minime in ingratum hominem, maxima beneficia contuliſſe. DIXI.

ORATIO QVARTA.

In funere Henrici Valeſij Gallorum Regis.

Ferrariæ habita ad Hippolytum Cardinalem, & Herculem Ducem.

RES eſt ſanè, Cardinalis religioſiſſime, Princeps Hercules inuictiſſime, voſq. ceteri viri præſtantiſſimi, res, inquam, eſt magna admodum, atque admirabilis, aquam cuius vis & natura omnis, tam abeſt à calore, vt nihil magis calori poſſit eſſe contrarium, calcem inflammare, atque intendere, Illud etiam valde mirandum eſt, arbores robuſtiſſimas, alteq. in terram radicibus defixas, turreſq firmiſſimis fundamentis, & murorum ſoliditate ſtabiles, vento, re ſcilicet adeo tenera, ac molli, extirpari, excindi, funaitus euerti. Id vero deniq. non modo mirabile, ſed monſtri penè eſt ſimile, quod cum eadem aqua omnium rerum ſit frigidiſſima, frigore tamen, quo conſeruari deberet, corrumpatur, eiuſq. aſtricta vi conglaciet, & dureſcat. At vero, Viri Clariſſimi, illud vobis multo magis fortaſſe mirum videbitur, quod ego humilis homunculus, nullo ingenio, nulla dicendi facultate præditus, lacrymis præſertim, ſummoq. animi mærore confectus, tantum mihi tribuerim, vt qui conſolatione indigeo, hodierno die alios conſolaturus huc acceſſerim: perinde quaſi alienis vulneribus mederi velim, cum meis ipſe nullam Medicinam reperire, nullum remedium afferre poſſim. Ceterum ſi quis diligenter contempletur, atque conſideret, quemadmodum ex minutiſsimo ſemine, cæleſtium cauſarum ope, & auxilio, Solis nimirum, Stellarumq. tanti arborum trunci, ramiq. procreentur. Is etiam fortaſſe non diſsimili ratione fieri poſſe arbitrabitur, vt ego non eloquentia, à qua longiſsimè abſum, non orationis vbertate fretus, ac copia, ſed præſtantibus, eximijsq. ingenijs veſtris nixus, incredibilem illum dolorem, quem accepiſtis ex acerba morte tortiſſimi Regis HENRICI, aliqua ex parte lenire, atque alleuare poſsim. Etenim nihil mihi temere aſſumo, atque arrogo, ſemen tantum conſolationis ero, ac veluti inſtrumentum aliquod, mentes animoſq. veſtros excitabo, quos adeo repentina hæc calamitas oppreſsit, vt minus forſitan ea perſpiciant, quæ tantæ ægritudini leniendæ, in primis eſſent neceſſaria. Equidem viri clariſsimi, dum mecum ipſe Henrici Galliæ Regis potentiſsimi immaturam mortem conſidero, totuſq. in eam cógitationem defixus, humanæ felicitatis inconſtantiam, leui, atque & infirma mortalium gaudia attento animo intueor, vere illud mihi ac ſapienter dictum videtur, voluptati mærorem, hilaritati triſtitiam, comitem, & finitimam eſſe. Nam cui amplius dubium videri poteſt, nihil in terris firmum, nihil ſtabilè, nihil perpetuum reperiri, cum ea quæ omnium opinione optime conſtituta, fundataq. videbantur, ſubita ruina corruerint? Duodecim amplius annos Gallico Imperio Henricus præfuit, qua prudentia & iuſtitia, nihil nunc referre opus eſt; id tantum dico eum ferè nunquam ab externis bellis quieuiſſe. Accidit enim, vt cum pacis eſſet amantiſsimus, ſemper tamen modo ab alijs laceſsitus, modo ciuitatum precibus ad earum ſalutem, libertatemq. tuendam euocatus, bella gerere cogeretur. Illud ſiquidem præter cætera præclarum, vereq. regium eſſe arbitrabatur afflictis populis, qui ad eius opem confugiebant, opitulari, miſeros recreare, aliorum violentia euerſas vrbes erigere, atque in libertatem vindicare. Teſtes ſunt populi Belgæ, Mediomatrices Rheno flumini, Germaniſq. proximi, teſtis Italia vniuerſa, ipſa deniq. communis omnium patria, terrarumq. Princeps Roma, eius pietatis, & liberalitatis locupletiſsimus eſt teſtis. Sed quæ pro ſua, aliorumq. ſalute bella ſuſceperit, aliàs ſuo loco diligentius commemorabimus. Erat autē V.C. Henricus valde in prælijs fortunatus & felix, cunctaq. ſummo cõſilio, & ſingulari prudentia adminiſtrabat, idē tamen incertos pugnarum exitus, & communem Martem, magno ac excelſo animo fere-

bat, ſuamq. conſtantiam fortunæ ancipitis iniuria nunquam inflectebat: adeo vt ſemper, aut ex ſecundis certaminibus victoriæ Trophæa, aut ex aduerſis inuictæ fortitudinis gloriam reportaret. Verum (vt dixi) pacis,& concordiæ cupidus, atque amator erat, neque enim poterat ijs victorijs quas de Chriſtiano hoſte conſecutus fuerat, lætari; dolebat potius innocentium populorum ſanguinem effundi, miſeras prouincias vaſtari, ac diripi, vrbes infelices cædibus, rapinis, incendijs funeſtari. Itaque Deum Opt. Max. aſsidue precabatur, vt pacem inter Reges Chriſtianos conciliaret, proſtratæ Europæ dexteram porrigeret, eamq. ceteris quietis, & tranquillitatis mentem daret, quam ipſi dediſſet. Hæc viri ornatiſsimi, cum ſumma pietate, ſummaq. religione ab immortali Deo per tot annos peteret Henricus, audiuit ille eius preces. Itaque tandem diuturni, & luctuoſi belli finis conſtituitur, veteres inimicitiæ deponuntur, paxq. inter duos Orbis Terrarum maximos, & potentiſsimos Reges conficitur. Quæ vt firmior eſſet, atq. arctiſsimo coniunctionis vinculo aſtricta teneretur, Henricus Iſabellam filiam, & Margaritam ſororem, lectiſsimas, eximiæq. pulchritudinis Virgines, Philippo illam Hiſpaniarum Regi, hanc vero Philiberto Sabaudio Allobrogum Principi in matrimonium collocat. Videbatur omnibus laborum & calamitatum optatum finem aduenisse. Ciuitates, regiones populi animos erigebant, ac tanquam bellorum tempeſtate ſedata à metu paululum reſpirabant. Lætabatur Italia, gaudebat Hiſpania, Gallia vero vniuerſa lætitia exultabat. Etenim dulce illud pacis nomen iam diu inauditum, incredibili voluptate ac dulcedine omnium animos perfundebat. Audiebantur igitur paſsim lætiſsimæ multitudinis voces, alij Deo immortali gratias agebant, Thracibus alijs teterrimis Chriſtiani nominis hoſtibus mortem, excidiumq. minabantur, vniuerſi autem Philippi, & Henrici pietatem, religionem, clementiam certatim ſummis laudibus in Cælum efferebant, eoſq. antiquis maiorum ſuorum cognominibus digniſsimos appellabant: deniq. omnis generis, ætatis, ordinis, omnes viri, & mulieres lætabantur, cunctaq. hilaritatis, lætitiæ, iucunditatis plena erant. Ecce autem repente inter tantas pacis gratulationes, dum tota Gallia feſti celebrantur dies, dum ludicra equitum certamina, vmbratilesq. armorum pugnæ exercentur, cum in ſimulatum hoſtem equum incitaret Henricus, idemq. ille alter faceret, aduerſo pectore haſta excepta, eius fragmento ſupra oculum vulneratur: quo ex vulnere paucis interpoſitis diebus, fortiſsimus Princeps, omnibus animi, corporis, fortunæq. bonis florentiſsimus, media ac conſtanti ætate (pro miſeram hominum conditionem) moritur. Quis hoc loco V.C. non exclamet? Quis mortalium vitam, omnibus caſibus, omnibus fortunæ telis expoſitam non lugeat? Quis humanæ calamitatis vicem non ingemiſcat? O caduca gaudia. O ſpes fallaces. O nimium fugaces lætitiæ. me miſerũ, hic ne eſt regalium nuptiarum apparatus? hi ludi magnificentiſsimi? Iſta ne ſunt pacis, atque otij ampliſsima ſpectacula? o miſerabilem rerum viciſsitudinem, commutata omnia. Luctuoſum funus, funebria vndiq. veſtimenta, lacrymæ vbiq. & mæror. Sed quid ego tanti Regis felicitatem exiguo vitæ curriculo, non rerum ab eo geſtarũ magnitudine metior? Illi ſuos dinumerent annos, qui ita ætatem degerunt, vt eodem tumulo, quo illorũ corpus tegitur, nomen etiam obruatur, Henrici vero gloriam nulla vetuſtas obſcurabit, nulla vnquam delebit obliuio. Quapropter & ſi propter diuinas animi virtutes videbatur, mori non debuiſſe, ſatis tamen vixit, quando ea laudis inſignia, virtutiſq. monumenta reliquit, quæ eius famam ad perpetuam omnium ſæculorum memoriam propagabunt. Etiam illud V.C. adiungo, cunctis mea ſententia, Trophæis, triumphisq. magis inſigne & perpetuum, viuet Henricus omnium ſcriptorum laudibus celebratus, qui pulcherrima ipſius facta litterarum lumine illuſtrabunt, omniq. monumentorum genere immortalitati commendabunt. Etenim doctos, & eruditos homines Rex prudẽtiſsimus plurimi faciebat, muneribus eos regijs atq. ampliſsimis ſtipendijs ſuſtentabat, liberaliumq. artium, & diſciplinarum patrocinium, quod à munificentiſsimo Patre Franciſco hæreditarium acceperat, ſingulari ſemper beneficentia tutatus eſt. Non igitur eius felicitati id deeſſe poterit, cuius cauſa magnus ille Alexander fortunatum appellauit Achillem, quod ſcilicet Homerus virtutes ipſius, æterno carminum præconio poſteris prodidiſſet: nunquam enim de maximis Henrici rebus ſilebitur, nullaq. ætas eius famæ finem vnquam eſt allatura. Nam quicquid fortiter, quicquid clementer, quicquid liberaliter ab eo factum eſt, omnium gentium linguis, omnibus hiſtorijs, om-

nium

nium poetarum ingenijs celebrabitur. Itaque ne expectetis V. C. dum hoc loco ſingulas Henrici virtutes, illuſtresq. victorias recenſeam, mihi namq. cum ingenij mei, quod quam ſit exiguum non ignoro, tum etiam temporis anguſtiæ præcipuè ratio eſt habenda. Quamobrem prætereo, quæ ad Montecalerium Subalpinæ regionis oppidum, prope puer feliciter geſſit, mitto, quod cum à Franciſco Patre Landreſium obſidione liberatum eſt, primo agmini præfuerit, aduerſusq. Cæſarianos milites fortiſsime dimicarit; illud tamen prætermittere non poſſum, quod continuo poſtquam totius Galliæ conſenſu Rex ſalutatus eſt, maximum fortiſsimumq. exercitum, in Britanniam tranſmiſit, vt Scotis fœdere & ſocietate ſibi coniunctis, contra Anglos, quibus cum continenter fere prælijs decertant, opem ferret. Quo egregio facto non ſolum Scotos ſocios à grauiſsimi belli metu liberauit, verum etiam eorum ferociſsimos hoſtes proſtrauit, atque ab inferendis iniurijs in poſterum coercuit. Quanta vero, bone Deus, felicitate, ab Edoardo Angliæ rege Bononiam recuperauit. Vrbs hæc V C. in Morinis ad Oceanum ſita eſt, à qua breuiſsima eſt in Britanniam traiectio. Indignum Henrico videbatur Galliæ ditionis Vrbem, tanta præſertim loci opportunitate, hoſtium armis oppreſſam teneri. Statim itaq. copias inſtruit, vicina oppida incredibili celeritate expugnat, remq. in eum locum deducit, vt Edoardus Rex inopinata vi proculſus, pacem à victore Henrico petere, reſtituta Bononia, cogeretur. Iam vero, cum primum ad regni gubernacula acceſsit, nihil habuit antiquius, quam vt fœdus, quod Franciſcus Pater cum Heluetijs icerat, ſtabiliret, & veteres pactiones renouaret. Videbat quippe ad dignitatem ſuam, Galliæq. præſidium permagni intereſſe, finitimam ac bellicoſam gentem ſibi conciliare atque adiungere: cuius deinde forti, & fideli ſemper eſt vſus, eiuſq. virtute & armis inſignes de hoſtibus victorias reportauit. Venio nunc ad id bellum quod in Mediomatricibus (quos Metenſes appellant (Germanorum Principum precibus euocatus geſsit: cui præſens ipſe interfuit, præſens omnia prudentiſsime adminiſtrauit. Quid ego autem hoc loco V. C. primum admirer? aut laudibus efferam? diuinam ne, inauditamq. liberalitatem? an excelſi & inuicti animi magnitudinem? Equidem præclarum eſt afflictis, & iacentibus ſalutarem dexteram porrigere, magnificum pro aliorum ſalute innumerabiles pecunias, theſaurosq. profundere, inuſitatum alienæ libertatis cauſa periculoſiſsimum bellum ſuſcipere, quid dicam ſeipſum, corpus & vitam ſuam, non ſolum in diſcrimen adducere, ſed certiſsimis periculis obijcere? inuictum itaq. Henricus exercitum in Belgas ducit. ſuo aduentu ciuitates illas omnes quæ ſunt ad Rhenum flumen, & quas liberas appellant, erigit & recreat. Nemetes populos in retinenda libertate conſentientes, opibus & copijs adiuuat, confirmat, defendit. Cum vero multa oppida & caſtella cepiſſet, ſatiſq. ad propriam laudem, populorumq. vtilitatem perfeciſſet, rebus ex ſententia confectis, in Galliam reuerſus eſt. Ceterum Mediomatricum Vrbem (ea nunc Barbaro nomine Metz dicitur) vallo & foſſa egregie cinxit, bellicis ornamentis, ac firmiſſimis veteranorum militum præſidijs muniuit; ita vt omnem vim, & oppugnationem ſuſtinere poſſet. Hanc V. C. CAROLVS Quintus Cæſar, ille inquam Carolus fortiſsimus, prudentiſsimus, feliciſsimus Imperator, ille gentium victor, cuius plures victoriæ, quam aliorum pugnæ percenſentur, qui rei militaris ſcientia, fortunæ felicitate, ac celeritate conficiendi, ſingulari fortitudine omnibus denique imperatorijs virtutibus, totius antiquitatis memoriam ſuperauit; hanc, vt dixi, Vrbem ipſe Cæſar duriſsimo anni tempore, armatis millibus centum obſedit. Nihil ab eo relictum eſt, quod ad oppugnandum, expugnandumq. oppidum vſui eſſe videretur; extructi aggeres, perfectæ munitiones, præcipue autem validiſsimis tormentis mœnia verberata. Tanta tamen militum fuit in laboribus tolerandis patientia, tanta Ducum virtus, & vigilantia, ſummi præſertim clariſsimiq. Principis Franciſci Lothoringij, vt nulla acerrimorum hoſtium vi, nulla ſcientiſsimi Imperatoris induſtria, nullis poſtremo tormentorum continuis emiſsionibus ſuperari potuerint: ipſeq. Carolus cum intolerabilis frigoris magnitudo ſuſtineri amplius non poſſet, re infecta legiones in hiberna reducere coactus eſt. Quod tantum, immortalis Deus, flumen eſt orationis, quæ tanta dicendi copia, & vbertas, quæ huius maximi Regis eximias virtutes, admirandamq. erga miſeros & fortunæ tempeſtatibus iactatos, pietatem dignis laudibus perferre in Cælum queat? Dicite quæſo viri præſtantiſsimi, ſi ſuæ liberalitatis Henricus hanc vnam modo teſtificationẽ reliquiſſet, quod CisRhenanis populis, eius miſericordiam

& auxilium implorantibus, tanta regij animi magnitudine, ipſemet cum maxima militum manu ſubſidio fuerit, nonne omni gloria, omni commendatione digniſſimus eſſe videretur? quibus nunc igitur præconijs, quibus elogijs Henricus eſt exornandus, cum nullus propè in omni Italia locus ſit, in quo rerum, quas piè ac religioſe ob aliorum ſalutem geſſit monumenta, veſtigiaq. non ſint impreſſa? Quæ ætas non admirabitur? quæ poſteritas non obſtupeſcet? aut legendo, aut audiendo, tot bella ſuſcepta, tantam auri vim propter ſalutem Italiæ effuſam, exercitus trans Alpes, Apenninumq. miſſos, Parmam, & Mirandulam defenſas, Senas in libertatem vindicatas, Romam ipſam Vrbium Principem, ſanctiſsimum Religionis domicilium, cunctarum gentium patriam ſeruatam & protectam. O vere Chriſtianiſsimum Regem, o tanto maiorum ſuorum titulo digniſsimum, ò fortunatum & felicem, cui contigerit illud Illuſtriſsimum orbis caput tueri, quo ſibi vno pulcherrimo facto vniuerſas nationes in perpetuum obſtringeret. Multa mihi V.C. ſilentio ſunt inuoluenda, cogor enim temporis breuitate. Nam etſi me (quæ veſtra eſt benignitas) diligenter attenditis, ad illud tamen ſingulare, diuinumq. facinus, quo extremum quaſi vitæ actum feliciſsimè concluſit, ad hanc dico ſaluberrimam pacem, animus & oratio feſtinat mea. Verum id tacitus non prætereibo, quanta beneuolentia & charitate, omnes Italos complexus fuerit, quamque eos omnibus honoribus, præmijs beneficijs ſemper ornarit. Ille Neapolitanis patrijs laribus eiectis, ille Florentinis, qui vagi, exuleſq. errabant, tutiſsimum portum, perfugiumq. præbuit. Etenim Salernitanum Principem, & Sommeum Ducem, è nobiliſsima gente Sanſeuerinia, omni beneficentia eſt proſecutus. Salernitanum autem in ampliſsimum ſancti Michaelis equitum collegium cooptauit. Quid de Petro, Leoneq. Strotijs fratribus dicam? Quorum alterum ob egregiam fortitudinem, & rei bellicæ ſcientiam, quam ex multis prælijs cognitam habebat, in ſummo dignitatis gradu (hunc Mareſcialum nominant) collocauit: alterum vero prudentia, & virtute præſtantem, ac in primis maritimarum rerum peritiſsimum claſsium imperio præfecit. Ammirantemq. (vt dicunt) creauit. Quid Farneſios generis vetuſtate, maiorumq. amplitudine clariſsimos commemorem? quorum ille ſi rentem fortunam maximis honoribus amplificauit. Nam & Alexandro Farneſio Cardinali magnificentiſsima ſacerdotia dedit, & Octauium, Horatiumq. fratres aureis torquibus, quod ſplendidiſsimum eſt Inſigne ſancti Michaelis, donauit. Neque hoc contentus Horatium ſpectatæ fortitudinis, & maxime ſpei adoleſcentem affinitate ſibi deuinxit, eiq. filiam ſuam collocauit. Dies me V. C. vireſq. deficient, ſi velim omnes enumerare, quos admirabilis Henrici liberalitas, eximijs beneficijs ad virtutem erexit. An eſt quiſquam qui ignoret Vrſiniam familiam, antiquiſsima ſtirpe, & militari gloria illuſtrem, quæ ſemper Gallicarum partium fuit magnis, & amplis premijs ab eo auctam decoratamq. fuiſſe? teſtes ſunt viri fortiſsimi, & bellica laude excellentes, Iordanus Vrſinius, Nicolaus Pitilianus, Flaminius Anguillarius, Iulius & Paulus Vrſinij, quorum inſignis virtus multis in bellis enituit. Quid ego duo (vt ſic loquar) Martis fulmina Cornelium, & Guidonem Bentiuolos proferam? nimis longum eſſet omnia perſequi, cum præſertim nihil cuique inauditum, aut nouum dicam. Iam vero Galliæ nobiliſsimos Duces, quos ille ſummo in honore habuit, quos maximis dignitatibus, imperijſq. ornauit, extulit, locupletauit, nominare omnes, immenſum quiddam & infinitum eſſet. Hæc V. C. hæc inquam generoſi Regis vere eſt vita, quæ ſæculis omnibus vigebit, quæ non ſpiritu, & corpore, ſed immortalitate continetur, quam neque naturæ lex exiguo, anguſtoq. ſpatio circumſcribere, neque fortunæ temeritas medio in curſu retardare, ac reuocare poterit. Ille beatus eſt, & felix, qui poſtquam incredibili liberalitate vniuerſam Chriſtianam rempub. quietam, pacatamq. reddidit, ex hoc terreno carcere ad perpetua cæli gaudia euolauit. Eum ſcilicet Deus Opt. Max. vera, ſempiternaq. pace frui voluit, qui ſua pietate mortalibus pacem, ac tranquillitatem peperiſſet. Hic ego mihi ſingularem quandam eloquentiam, hic vocem & latera dari velim, vt diuinum hoc factum quo nullum maius, nullum præſtantius dici, aut excogitari poteſt, veris laudibus ornarem, amplificarem, extollerem. Extenuent nunc alij licet Henrici victorias, & triumphos, cum militibus, ducibuſq. bellicum decus communicent, aliquid etiam fortunæ, quæ in bellis præcipue dominatur impartiant, hæc certe pacis conciliatæ gloria tota vnius Henrici eſt, & propria. Vicerit ille innumerabiles copias, imperij fines longè lateq. propagauerit, variaſq. regiones trophæis illuſtrarit ſuis, hæc for-

tasse

taſſe pleriq. alij, ſummi illi quidem viri, & virtute excellenti, ſed tamen ſunt conſecuti, at vero ſeipſum vincere, infinitam dominandi cupiditatem comprimere, proprias vtilitates propter communem commodum negligere, hæc V. nobiliſsimi qui faciat, non ego eum humanam conditionem ſuperare, ſed ad Dei ſimilitudinem, quam proximè accedere iudico. O liberalitatem omnium gentium litteris atque linguis prædicandam; cæteri effrenata habendi auiditate inflammati, ne ab iniuſtis quidem bellis abſtinent, modo auaritiam ſuam expleant. Henricus pacis, & concordiæ deſiderio, quæ victoriæ iure adeptus fuerat, non dico oppidula aut caſtella, ſed prouincias & regna reſtituit. At credo fortaſſe exercitum, quem hoſtibus opponeret, non habebat, magna ditionis ſuæ parte ſpoliatus fuerat, ærarium exinanitum erat ipſe timidus & imbecillus armis circumcluſus, metu abiectus, ad compoſitionum confugere, quaſi in portum aliquem cogebatur: nihil minus. Aderant copiæ validiſsimæ, atque ad pugnandum inſtructiſsimæ, Germanorum lecta millia . . Heluetiorum . . millia, ſtatarium, & inuictum militum genus. Gallorum veteranæ, & bellicoſiſsimæ legiones . . Italorum legio vna fortiſsima. Equitum vero grauis, & leuis armaturæ ad . . millia. tormenta ænea omnis generis . . Huic autem armis & animis paratiſsimo exercitui, præter Regem ipſum, cuius nutu, & arbitrio omnia regebantur, ſummo cum imperio fortiſsimus Dux Franciſcus Lothoringius præerat; qui inaudita virtute plurima in Belgis oppida cepit, Caletemq. Vrbem maritimam, ipſa loci natura munitiſſimam, ac firmiſsimis mœnibus vallatam maxima vi & celeritate expugnauit: tantum aberat, vt ſuarum ciuitatum vllam amiſiſſet Henricus. Bellorum vero nerui pecuniæ, quo pacto ei V. C. in tam amplo, & copioſo regno, in tanta populorum beneuolentia deeſſe vnquam poterant? quid? illum ne belli caſum timuiſſe, aut ignauia debilitatum fuiſſe dicendum eſt? quo nemo magis bellicoſus, nemo in prælijs fortunatior, nemo exercitatior fuit? quiq. eo ætatis robore, ea totius corporis firmitate erat, vt cum otioſus bellis quieſcentibus, eſſe non poſſet, quotidie aut in venando, aut in fictis certaminibus, armatus membrorum vires exerceret. Illa, illa igitur cauſa Henricum ad pacem impulit, qua nulla iuſtior, nulla laudabilior, nulla tanto Rege magis digna reperiri poterat, amor videlicet erga Chriſtianam rempub. quietis & tranquillitatis cupiditas, pietas, & Religio. Quoties ille V. C. tot afflictæ Europæ cladibus miſericordia commouebatur, quoties dolebat his noſtris ciuilibus diſcordijs, Thracas crudeles & immanes Chriſtianorum hoſtes augeri & corroborari. Itaque poſtquam Philippi Regis potentiſſimi pium, generoſumq. animum cognouit, eiuſq. ſenſus omnes ad concordiam propenſos eſſe perſpexit, oblatam ſibi occaſionem non prætermiſit. Etenim nunquam illi voluntas, ſed tempus defuit; quod quidem non modo optabat, ſed quærebat, non expectabat ſolum, ſed prior etiam illi occurrebat. Quatuor namq. ab hinc annis, cum bellum ſumma felicitate gereret, cumq. victor ſecundiſſima fortuna curſum teneret, quinque annorum inducias cum Carolo Cæſare pepigit, vt interea de pacis conditionibus ageretur. Pro Deus immortalis, tantam ne in victoria, quæ ſemper ſuperba, atque inſolens eſt, Henrici moderationem fuiſſe, vt tantam temporis opportunitatem amitteret, ac ſibi è manibus ſponte ſua elabi pateretur. Sed nimirum ille V. C. nihil ad proprium commodum referebat, nihil ſua faciebat cauſa, communem dumtaxat fructum reſpiciebat, publicæq. vtilitati vel cum priuato detrimento ſeruiebat. Quod ſane nunc etiam Solis luce clarius apparuit. Siquidem cum cerneret Henricus pacem nulla ratione inter ſe & Philippum regem confici poſſe, niſi ipſe ex illis prouincijs decederet, quæ alienæ ditionis olim fuiſſent, quaſq. aut Franciſcus Pater illi hereditarias reliquerat, aut ipſe belli conditione in ſuam redegerat poteſtatem, magno & excelſo animo ſalutis omnium cauſa, ea omnia quæ per tot annos poſſederat, tantis præſidijs tutatus fuerat, quæ tanquam propugnacula regni ſui hoſtium finibus obiecta erant, quæ illi ad Italiam, ad Britanniam, ad Belgas facilem aditum præbebant, hæc omnia ob publicam Chriſtianorum quietem, vltro dimiſit, atque reſtituit. Itaque V. C. eo ipſo tempore quo Martis funeſtis facibus cuncta ardere videbantur, duoq. maximorum regum inuicti exercitus omnium in ſe gentium oculos conuerterant, eo inquam tempore, Dei optimi ſeruatoris noſtri clementia, quem noſtrarum calamitatum miſertum fuerat, Philippus & Henricus Reges, diuturnis offenſionibus, atque odijs depoſitis mirifico animorum conſenſu pacem fecere. O diem illum Europæ lætiſſimum, o optatiſſimum nuntium. Ipſa Me-

dius fidius vrbium mœnia, ipſi templorum parietes lætabantur, ſuiſq. conſeruatoribus gratias agere geſtiebant. Vnus erat in tanto omnium gaudio Suleymanus, ille tot nationum immaniſſimus tyrannus, ille Chriſtianæ Religionis teterrimus hoſtis, vnus inquam erat, qui triſtitia & dolore afficeretur. Idque iure, & merito. Nam quemadmodum maiorum ſuorum potentia Chriſtianorum diſſidijs tanquam gradibus, in altiſsimum locum aſcendit, vt iam vniuerſo orbi horribilis ſit, & formidanda, ita etiam videbat eam frangi ac debilitari poſſe, ſi Chriſtiani Principes, vna & concordi mente ad defendendam libertatem conſpiraſſent. O fortuna, o mors. Vtinam vixiſſet Henricus, vtinam hac luce, hoc cæli ſpiritu frueretur, nihil amplius timendum eſſet, ne illa tranſmarina peſtis, ab Oriente nos opprimeret. Ecquæ enim V. C. tanta vis, tanta barbarorum copia fuiſſet, quæ duobus potentiſsimis regibus concordia, beneuolentia, affinitate coniunctiſsimis repugnare, aut reſiſtere potuiſſet? Ceterum quando aliter euenit, non tamen nobis de infinita Dei pietate deſperandum eſt: eius ſiquidem conſilio in profundo penitus abſtruſa ſunt, noſq. humi ſtrati eorum altitudinem ſuſpicere non poſſumus. Hanc tantam fortaſſe laudem Philippo Auſtrio integram reſeruat; qui virtutem a ſeipſo, felicitatem à Cæſare Patre hereditariam habet; Quiq. iam Aphricam paternæ gloriæ ſegetem, actoſq. de Barbaris triumphos ſpectat, & immortalitatis deſiderio vehementer exardet. Nos autem Viri Nobiliſsimi, Henrici Regis feliciſsimi mortem ne lugeamus, ipſi gratulemur potius, quod ex huius orbis tempeſtatibus, & procellis, in portum tranquillitatis pleniſsimum euolauerit. Illi etenim Deus rectè factorum præmia tribuere, eumq. pacis, quam orbi terrarum dederat, fructum vberrimum capere voluit. At vero Princeps Hercules, dum conſidero, quanta tibi cum illo non ſolum cognationis, ſed amoris arctiſsima vincula fuerint, plane non poſſum vehementius non commoueri, tuumq. acerbiſsimum dolorem, vix vlla conſolatione leniri poſſe non miror. Amiſiſti tu quidem Nepotem, qui te, ſicut parentem alterum diligebat, & obſeruabat. Quiq. filium tuum Alphonſum, florem Italiæ, bellicæ virtutis ſpecimen, patriæ lumen, & decus, ita amabat, ita ferebat in oculis, vt ſine eo vitam ſibi inſuauem eſſe exiſtimaret. Quid de te Hippolyte Cardinalis Illuſtriſsime dicam? quem ille incredibili amore, ac ſingulari obſeruantia coluit? quem ampliſsimis Sacerdotijs ornauit; cuius erga ſe beneuolentiam & fidem adeo perſpectâ habuit, vt Romæ Gallici Regni defenſorē, patronumq. eſſe voluerit, prudētiæ vero tuæ tantum tribuit, vt te Senenſium reipub. præfecerit, vt pro rege, illius ciuitatis, quæ ſcientiſsimo gubernatore indigebat, clauum teneres. Franciſcum autem, & Alphonſum fratres veſtros amantiſsimos quo amore complexus fuerat? Cum vtrumque equeſtribus ſancti Michaelis torquibus aureis conchylijs exornatis decorauit? Quapropter Principes Ateſtij Illuſtriſsimi, tuq. in primis Dux integerrime, iure magnum dolorem ex morte optimi, & fortiſsimi Regis Henrici accepiſti. Quin etiam tuus iſte augetur mœror, quod eo tempore è vita diſceſsit, quo tu per maximos calores, nullo valetudinis, ætatiſq. tuæ iam ingraueſcentis periculo deterritus, non itineris longitudine, non viarum aſperitate retardatus, cum ingenti ac nobiliſsimo tuorum ciuium Comitatu Alpes tranſcendere cogitabas, vt coram ipſe Philippo, & Henrico Regibus de pace, & concordia, deque affinitatis coniunctione gratulareris, præſensq. animi tui lætitiam, non tantum verbis, ſed vultu atque oculis ſignificares. O ſi te Princeps Hercules vidiſſet Henricus, ſi te amplecti in tanto ſuo gaudio, atque oſculari potuiſſet, nihil propè ad eius ſummam felicitatem defuiſſe videretur. Sed certe V. C. ita eſt, voluptati luctus, iucunditati moleſtia connectitur! Hæc eſt perpetua rerum humanarum viciſsitudo, hæc fortunæ immutabilis varietas. Felix erat Henricus, ſi poteſt vlla in terris eſſe felicitas; ſua namque liberalitate, quod per tot annos optauerat, pacatam videbat Europam. Cum rege potentiſsimo maximis affinitatis vinculis coniunctus erat; Margaritam ſororem ſuam cariſsimam Philiberto Sabaudio, cum propria virtute, tum maiorum ſuorum ſplendore, & gloria clariſsimo, in matrimonium collocauerat. Nihil amplius ad eius proſperitates poſſe accedere videbatur: cum itaque Gallia vniuerſa incredibili lætitia redundaret, ſubita mutatione factum eſt, vt repente omnia commutarentur: dolorq. ſummus, & incredibilis mæſtitia, tantam hilaritatem vno temporis puncto auferret, atque eriperet. Verum V. C. ſi vitæ breuitatem nobis ante oculos propoſuerimus, ſi nos homines eſſe, ea conditione natos, vt omnino moriendum nobis ſit, meminiſſe voluerimus, ſi denique cogitabimus nihil niſi

caducum

caducum & fragile infra Lunam reperiri, profectò præclare cum tanto rege actum eſſe arbitrabimur, qui omni fortunæ felicitate perfunctus ita diem ſuum obierit, vt ſempiternã vitam conſecutus eſſe credatur. Nihil ille moleſtiæ gaudijs ſuis aſpergi vidit, volubilis fortunæ inconſtantiam non eſt expertus, ſed ſecundo, & æquabili curſu, in tutiſsimum portum inuectus eſt. Illum ne igitur V.C. lugebimus, qui omni gloria, omni laude cumulatus, in Cælum aſcendiſſe credimus? Illius tranquillitatem lacrimis noſtris conturbabimus? qui ſua liberalitate fletum nobis omnem in perpetuum abſterſit? an eius fortaſſe vicem dolebimus? Qui hanc mortem cæleſti vita, caducas voluptates cum ſempiternis bonis, mortalitatem cum æternitate cõmutaſſe confidimus. Tanta enim religione fuit, vt nihil aliud dies noctesq. cogitaret, quam Chriſtianorum cõcordiam, nihil eius cordi magis eſſet infixum, quam Romanæ reipub. quæ veræ Religionis noſtræ domicilium eſt & ſedes, amplitudo ac dignitas: idque antiquiſsimum haberet, vt Romanos Pontifices tueretur, à quibus maiores ſui, quod eorum defenſores & propugnatores acerrimi ſemper fuiſſent, ſplendidum illud & glorioſum Chriſtianiſsimi cognomen accepiſſent. Quid quod ſummis ſupplicijs, & cruciatibus illos puniebat, qui impias hæreſes, ſectasq. ſceleratorum hominum à vero Dei cultu diſsidentium ſequuntur? quid quod nullam vnquam victoriam eſt conſecutus, quin ſubito Chriſti conſeruatoris noſtri, Matrisq. Virginis templa adiret. Quibus ſupplex gratias agebat, & quicquid ſibi feliciter ſucceſſerat, acceptum referebat. Quid de eius prudentia & iuſtitia dicam? hæ namq. Clariſſimæ omnium virtutes quemadmodum Regum præcipuæ ſunt & propriæ, ita etiam ipſius regium vere animum, tanquam Stellæ illuſtrabant. Ille ſuum vnicuiq. ſumma æquabilitate tribuebat, neque vllius aut gratiam, aut potentiam, aliorum inopiam, & humilitatem opprimere patiebatur. Tanta vero humanitas V. Cl. tanta audiendi facilitas, in Henrico fuiſſe dicitur, vt nemini ad eum aditus eſſet intercluſus. Itaq. multitudo omnis, non ſolum eum diligebat, ſed ſicut aliquem de Cælo delapſum admirabatur. Quid reliquas animi virtutes fortitudinem, liberalitatem, magnificentiam prædicem? quid naturæ & corporis bona extollam? nihil enim tanto Regi ad ſummam felicitatem defuit. Nam & decora magnitudine, membrorumq. apta compoſitione, & regia oris dignitate præter ceteros excellebat. Firma autem valetudine, atque integra ſemper fuit. Robur vero, & vires, quid referre opus eſt? cum nemo neſciat, eum extremum fere vitæ diem inter armorum exercitationes obijſſe. Quod quidem mortis genus acerbum, & miſerabile, merito omnibus videri debet, cum inaudita Fortunæ iniquitate horribilis ille caſus omnino acciderit. Verum illos tamen ſatis admirari non poſſum, qui Gallici inſtituti prorſus obliti, in ipſum Henricum omnem culpam transferunt, eiusq. prudentiam (iniuria me Hercule) requirunt: Etenim V. C. Gallica natio bellicoſiſsima, equitandi diſciplina longe ceteris antecellit. Quapropter, non ſolum nobiliſſimi iuuenes armati ex equis pugnant, ſeq. aſsiduè equeſtribus certaminibus ludentes exercent, ſed ipſi quoque Reges, ſuo exemplo alios ad virtutem excitare, atque accendere coguntur. Proinde deſinant iſti Regem prudentiſſimum reprehendere, fortunam potius accuſent, quæ illum nobis inuiderit. Noſter hic eſt dolor, immo publica totius Chriſtianæ reipub. calamitas: ille autem felix eſt & fortunatus, cuius Iuſtitiam, prudentiam, liberalitatem, fortitudinem, temperantiam, omnium ſæculorum fama celebrabit. Qui quam plurimis monumentis gloriam ſuam immortalitati commendauit. Qui morum ſuorum effigiem Franciſcum filium reliquit, patriæ, & auitæ virtutis non ſecus ac nominis heredem. Cui quid ille moriens dixerit, quæ documenta dederit, audite quæſo V.C. audite. vocem quantum potero contendam, vt quæ de Henrici Religione, pietatẽ, & fide nunc dicturus ſum, vniuerſi exaudiant. Cum ſupremum vitæ diem ageret Henricus, iam iamq. moriturus æternam illam beatorum felicitatem, cogitatione & mente intueretur, Franciſcum filium maiorem natu, ad quem tanti regni hereditas pertinebat, ad ſe vocat, eumq. amplexus atque oſculans ita ad laudem, & gloriam eſt adhortatus. Cernis fili me ex hominum vita migrare, hæc enim anima Dei iuſſu reuocata, in his corporis vinculis retineri amplius non poteſt. Tibi igitur, vt æquum eſt, hoc ampliſſimum maiorum noſtrorum patrimonium relinquo, tibi huius florentiſſimi regni gubernacula trado. Tu, vt ego qui te genui, veram Religionem integra, & incorrupta mente, ſemper cole. Hæc prima in Cælum eſt via. Sanctiſsimos deinde CHRISTI Vicarios Romanamq. rempub. omni vi, & opibus tuere, conſerua,

ſerua, atque auge: teq. ea de cauſa Chriſtianiſsimum appellari memineris, vt pro Religione, veroq. Dei cultu, vitam & ſanguinem profundere non recuſes. Iuſtitiam donec vixeris venerare, pius & clemens eſto. Illud autem à te fili pro mea erga te paterna beneuolentia vehementer peto, illud tibi præcipuè mando, & iubeo, vt pacem, quam ego cum Philippo Rege ſanctiſsimo feci, cõfirmes, atq. in perpetuum ſerues, ipſumq. ſicut Parentem alterum, omni amore, & reuerentia obſerues. Hæc atque alia huiuſmodi cum diceret Henricus, ac Franciſcus filius præ dolore & lacrimis loqui non poſſet, ipſe in complexu liberorum, & Catharinæ coniugis fideliſsimæ extinctus eſt. O incredibilem & diuinam virtutem! O pietatem omnium gentium præconio, omnibus ſæculis prædicandam! Tibi ſatis Henrice non fuit perficere, vt tua liberalitate tranquilla pace frueremur, tu eo contentus non fuiſti, vt viuens proprias vtilitates Chriſtianorum incolumitati anteponeres; quin poſt mortem etiam ſaluti noſtræ conſulere, & proſpicere voluiſti. Nunquam tantorum beneficiorum memoria morietur; nunquam vlla obliuio, rerum à te geſtarum gloriam obſcurabit; o Regem pium. O felicem & beatum. Exceſsit quidem V. C. Henricus, ex hac breui & caduca, ſed cæleſtis beatitudinis ſempiternam illam aſſecutum eſſe iure optimo arbitramur. Itaque viuit nunc ille in Cælo, Dei munere, viuit in filio, qui non ſolum paterni corporis figuram & lineamenta, ſed multo magis animi virtutumq. imaginem exprimit, viuet ſemper ſcriptorum ingenijs, qui ab eo ſubleuati, magniſq. præmijs honeſtati, eius nomen & famam, omni monumentorum genere, omnibus laudationibus, hiſtorijs carminibus celebrabunt. Nos igitur V.C. in huius religioſiſsimi, fortiſsimi, ac feliciſsimi Herois ſepulchro, non marmoreo, non opere, & manu facto, ſed in illo æternitatis, quod nulla conſumet vetuſtas, ad perpetuam poſteritatis memoriam hoc elogium inſcribamus.

HENRICVS . VALESIVS . FRANCISCI . F . GALLORVM
REX
BONONIAM . ET . CALETEM . AD . OCEANVM . CEPIT
BELGIS . RHENO . FLVMINI . FINITIMIS . MAXIMO
EXERCITV . OPEM . TVLIT . ROMAM . SENAS . PARMAM
MIRANDVLAM . DEFENDIT . PACEM . CVM . PHILIPPO
HISPANIARVM . REGE . FECIT . ET . PROVINCIAS
VICTORIAE . CONDITIONE . AD . IMPERIVM . SVVM
ADIVNCTAS . INAVDITA . LIBERALITATE . RESTITVIT
QVIETE . TERRA . MARIQ. PARTA . OMNIVM
FELICISSIMVS . MORTEM . OBIIT
DIXI

SILVII ANTONIANI
S·R·E· PRESBYTERI
CARDINALIS
ORATIONES
Habitæ Romæ.

ORATIO PRIMA.

De cognitionis, & eloquentiæ laudibus.

Habita in Gymnaſio Romano 1563.

Cardinales Illuſtriſsimi, Epiſcopi religioſiſsimi, Viri clariſsimi, Iuuenes nobiliſsimi.

VETVS eſt quorundam hominum, qui ſenſibus omnia metiuntur, querela & lamentatio naturam rerum omnium procreatricem, cum vniuerſis animantibus parentis caritatem præſtet, in vnum modo hominem nouercæ odium exercere. Etenim ex tot generibus animalium, nullum eſſe, quod non aliquo corporis tegumento obducatur. Nam alia plumis, alia ſquamis, alia corijs, alia villis tegi, atque veſtiri, quo ſint à frigore, & caloribus tutiora. Iam vero vt vim illatam repellere, & quæ interitum afferrent, facilius vitare poſſent, belluas omnes, vel feras, vel cicures, partim cornibus, partim dentibus, partim vnguium aduncitate eſſe armatas; alias autem aut pedum celeritatem, aut pennarum pernicitatem mortis effugium habuiſſe, ipſas denique ſtirpes, ipſos arborum truncos libro & cortice munitas. Solum hominem nudum & inermem naſci, atque à natura tãquam abortum ad gemitus, & eiulatus proiectum, & omnibus Fortunæ telis crudeliſſime propoſitum fuiſſe. Ceterum falſas haſce, & iniquas hominum ingratiſſimorum criminationes, ſeu potius delirationes depellere non eſt difficile. Primum enim prouida illa, ſolersq. rerum omnium parens natura, quæ nihil ſuperuacaneum, nihil non neceſſarium efficit, homini manum tribuit, inſtrumentum plane vtiliſſimum & admirabile, ita vt Anaxagoras non ignobilis, & perantiquus Philoſophus, illud aſſeuerare non dubitauerit, hominem idcirco omnium animalium prudentiſſimum eſſe, propterea quod manus adminiculo vteretur. Quamquam verius dixiſſet, quandoquidem homo prudentia excellit, iure optimo à natura hoc præſidio inſtructum, vt ad varias & multiplices artes comparandas, diuerſa etiam inſtrumentorum genera adhiberet. Itaque ſi recte cogitemus, hominem ad ſalutem, vitamq. retinendam

nendam meliore conditione eſſe videbimus, quam cetera animalia, quibus vnico tantum telo armatis illud neque deponere, neque mutare vnquam licet. At quanto munitior homo, cui manus omnium armorum inſtar eſt; nam & vnguis fit, & vngula, & cornu, & dens, atque ob digitorum molles commiſſuras, crebroſq. articulos, modo gladium ſtringit, modo haſtam torquet, ſeq. ipſam contrahit, ac porrigit, & ad omnem motum facillime conuertit. At vero ſagax natura, vt corpori manum dedit omnium artium miniſtram, quæ ad vitæ humanæ ſiue oblectationem, ſiue neceſſitatem excogitari poterant: ita etiam animo, quo nihil in homine melius, inſtrumentum alterum multo perfectius & diuinius, rationem ſcilicet, & mentem machinata eſt, quæ mens, vt inquit ille Philoſophorum, quaſi quidam Deus Ariſtoteles, mole quidem paruum quiddam eſt, & exiguum, vi autem, & facultate longe maximum & præſtantiſſimum. Etenim mentem cœlitus haurimus, & propter hanc Deo ſimiles ſumus, & æternæ illius felicitatis participes efficimur, ipſeq. homo, non hoc mortale corpus, non ea figura quæ oculis aſpicitur, ſed mens quæ ab aſpectu noſtro remota corpus regit, & moderatur, vere & proprie dici, atque exiſtimari debet. Quapropter actiones illæ quæ à mente proficiſcuntur, vt naturæ noſtræ mirifice congruunt, ita optimam & iucundiſſimam vitam pariunt. Sed quamuis hæc rationis, & mentis præſtantia, qua belluis antecellimus, vniuerſis mortalibus communis ſit, ipſaq. natura hominum generi hanc intelligendi vim ingenerauerit; pleroſq. tamen, ſiue propria negligentia, & inertia, ſiue parentum culpa, qui illos minime ingenua, & liberali diſciplina educarunt, ſiue illius materiæ vitio, ex qua tota corporis, membrorumq. fabricatio coagmentata elicitur, vſque adeo rudes, & agreſtes reperiri conſtat; vt ab ipſis beſtijs nulla alia propemodum re, quam humana effigie, & figura differre videantur. Id vero propterea accidit, quod Princeps illa, & veluti Regina animi mens, nudæ tabulæ, vt magni & ſapientes viri memoriæ tradiderunt, perſimilis eſt; itaque rerum cognitione, & ſcientia perficitur, & tamquam pigmentis quibuſdam coloratur, ex quibus deinde diuina illa & admirabilis ſapientiæ imago, optimarum artium coloribus illuminata exprimitur. Vt igitur in agris, non ſatis eſt, terram vi ſua fertilem, & vberem eſſe; niſi diligens cultura accedat. Nam glebas mollire, ac ſubigere oportet, vt ſolis calore tepefactæ, & aquis

lætificatæ, ſemen ſparſum recipiant, & interiore gremio recondant, quod deinde magno cum impendio Agricolæ reſtituant, ſic hominis ingenium ſine doctrina & ſtudio fructuoſum eſſe non poteſt. Hinc illud ſcientiæ deſiderium omnibus hominibus inſitum, hinc pueros ipſos fabellas libenter audire, & innato cognitionis amore duci, ac trahi videmus. Hinc ipſam pene clamantem naturam audimus, nihil præſtabilius, nihil magis homini congruens & conueniens eſſe, quam multarum magnarumq. rerum diſciplinam, ſcientiamq. percipere. Nam per Deum immortalem quotusquiſque eſt, qui ignoret, viros eruditos, & humanarum diuinarumq. rerum intelligentia præſtantes, imperitis hominibus quodam modo imperare? An non illam optimi Philoſophi ſententiam, veriſſimam & plane auream iudicatis ſapere regium quiddam eſſe? equidem ita arbitror, quantum homo ceteris animantibus, quantum anima corpori præſtat, tantum doctos, & ſcientes viros rudibus, atque ignaris anteire. Denique hoc mihi vere dicturus videor, quo quiſq. magis ingenium ſuum nobiliſſimarum artium doctrina excoluerit, eo magis hominem eſſe, propiusq. ad diuinitatis naturam accedere. Quis igitur, vt tam præclarum, tamq. diuinum bonum aſſequatur, non omnes labores quamuis maximos, & grauiſſimos libentiſſime ſuſcipiat? quis non omnibus induſtriæ neruis eò contendat, quo ſi peruenerit, immortalem laudis, & gloriæ fructum capiet, atque ab alijs veluti mortalis quidam colatur Deus? quo circa illorum induſtriam in cœlum iure optimo efferre decet, qui in hoc latiſſimo liberalium diſciplinarum curriculo ita elaborarunt, vt reliquis ad curſum ingredientibus viam munire, & tamquam facem præferre poſſent. Neque vos iuuenes ornatiſſimi non omni laude digni eſtis, qui acri quodam cognitionis amore inflammati ad præclara aut Philoſophiæ, aut ciuilis ſcientiæ, aut medicinæ ſtudia, toto pectore acerrime incumbitis. Ceterum quamuis ad veram, & ſolidam laudem nihil antiquius eſſe debeat, quam animum huiuſmodi diſciplinis ornare, & multarum rerum ſcientiam compræhendere, minime tamen eloquentiæ præſtantia negligenda eſt; nam quid laudabilius quam bene de hominibus mereri, & ea quæ ſcimus, alios etiam docere? quid porro pulchrius quam inuoluta, permixta, incompta, dilucide, diſtincte, ornate dicere? Etenim ex rerum ſcientia, orationis copia redundat, & rurſus rerum obſcuritas eloquentiæ luminibus illuſtratur. Ac mihi

quidem

quidem inutilis,& pene puerilis eorum labor videri ſolet, qui omiſſis rebus, in orationis ornatu, & verborum delectu nimis faſtidioſe, & delicate omnem operam conſumunt. Idemq. ſtatuo ſi ad præclariſſimarum artium peritiam, ſplendida & copioſa oratio accedat, tum illud eximium quiddam, & omni laude cumulatum exiſtere. Iam vero in hac ciuili communione, quanta ſit eloquendi vis, quis ignorat? Neque enim fruſtra parens natura, ex omnibus animalibus homini ſolum, Sermonem dedit. Nam belluæ cum iucundi tantum, & moleſti ſenſum habeant, ſola voce indigent. Homo autem animal multiplex,qui & ſenſibus,& ratione tam multa,tamq. varia percipit, animoq. complectitur, mentis abditas notiones verbis, & nominibus quaſi notis quibuſdam exprimit, atque depingit. Itaque modo in Senatu an aliquid vtile, aut inutile, modo in iudicio an iuſtum,aut iniuſtum, modo apud ſpectatores vtrum turpe ſit, vel honeſtum oſtendit. Quarum rerum præcepta & ſi potius ex reconditis Philoſophiæ quam eloquentiæ fontibus hauriuntur, tamen hac facultate inſtructi id aſſequimur, vt rudem & imperitam multitudinem, quæ ab acuta illa, & ſubtili Philoſophorum differendi ratione maxime abhorret, huiuſmodi orationis genere & argumentis, quæ à communis intelligentiæ ſenſu non adeo diſiuncta ſint,non ſolum docere, ſed delectare etiam,ac permouere facile liceat. Quod mea quidem ſententia magna in laude ponendum eſt. Nam quid tam difficile, quam populum, immanem, & multorum capitum belluam, grauibus ſententijs, & ornata oratione, veluti freno aliquo regere, ac moderari? quid tam admirabile, quam vnius hominis vocem inteſtinas ſeditiones comprimere, externa bella reſtinguere, pacem & amicitias conciliare? quid tam præclarum,& magnificum, quam improbos deprimere, bonos, & innocentes ciues iniuria afflictos, erigere,& ſublevare? etenim hæc omnia viros eloquentiſſimos in maximis, & potentiſſimis rebuspublicis, & præſtitiſſe olim, & nunc etiam præſtare nemo,vt arbitror,negabit. Namq. vt falſas eloquentiæ laudes affingere, aut ineptum, aut ambitioſum videtur, ſic ſuas illi, & proprias detrahere, valde ſane iniquum exiſtimo. Vt enim multo plura quam par eſt eloquentiæ tribuunt,qui illam à principio homines belluarum more in agris, & ſiluis diſperſos, à fera agreſtiq. vita ſegregaſſe, & vnum in locum congregaſſe aſſerunt; quandoquidem re vera nō oratio,ſed ratio, non eloquentia,ſed pru-

dentia

dentia ciuitates conſtituit, homineſq. natura ſua ad ſocietatem procliues, vrbium, & legum communione deuinxit. Ita fatendum eſt, eloquendi vim, niſi ſi quis non iam facultatis vitio, ſed ſuo, ad bonorum perniciem abutatur, & priuatis præſidio eſſe, & vniuerſæ reipub. ad bene, & feliciter viuendum maxima adiumenta importare. Hactenus de ſtudio dicendi, deq. cognitionis præſtantia. Nunc de me ipſo pauca loquar. Ego, viri clariſſimi, cum incredibili cognitionis ardore flagrarem, octo ab hinc annis adoleſcens, ac pene puer Herculem Ateſtinium Ferrarienſium Principem Roma abeuntem, Ferrariam ſum ſecutus, cui ego, ſi quid in optimarum artium diſciplina profeci, quod tamen quam exiguum ſit non ignoro, totum fere acceptum refero. Is enim mihi ſua beneuolentia, & liberalitate ad ſuſcipienda primum, deinde etiam retinenda Philoſophiæ ſtudia auctor fuit. Itaque quadriennio Vincentium Madium, Philoſophorum noſtræ ætatis facile Principem Ariſtotelis doctrinam in illo celeberrimo Gymnaſio explicantem diligenter audiui, cum interea feſtis diebus Poetis, aut Oratoribus publice interpretandis, me ipſum in humanitatis ſtudijs extraordinaria prouincia exercerem. Sed poſtquam Hercules Princeps acerbiſſimo animi mei dolore ex hac vita exceſſit, Romam me iterum contuli, ſtatimq. à Pio Pontifice optimo, cui non ſolum Sacroſancta Religio, & vniuerſa Chriſtianorum reſpub. ſed ipſa etiam bonarum artium ſtudia plurimum debent, paterna quadam pietate ſum exceptus, atque ad hanc meam non mediocrem felicitatem, ille etiam velut cumulus acceſſit, quod me Carolus Borromæus Cardinalis, ſingulari, eximiaq. virtute, neque tam fortunæ commodis quam animi bonis illuſtris, in fidem & clientelam ſuam humaniſſime recepit. Cuius nunc etiam patrocinio fultus, vt Pij Pontificis mandatis parerem, graue hoc, & difficile antiquos ſcriptores interpretandi onus ſuſcepi, ſed cum multis ingenij & exercitationis ſubſidijs, quæ ad hanc rem opus eſſent, carere me ſentiam, ne ſaltem mihi ipſe deeſſe viderer, eum potiſſimum ex omni antiquitate delegi, quem vobis Iuuenes, & iucundiſſimum, & vtiliſſimum, & probatiſſimum fore putaui. Itaque Milonianam illam ſummo artificio elaboratam, & omnibus dicendi luminibus ornatam orationem, Deo iuuante, explicandam ſumpſimus. Agite igitur Iuuenes nobiliſſimi Ciceronem Romanæ eloquentiæ parentem, Milonem defendentem, & aureum illud orationis flumen fun-

dentem

dentem audiamus, quid enim præclarius quam præſtantiſſimas diſciplinas, quibus dies, noctesq. ſtudetis, ſermonis elegantia illuſtrare, & rerum cognitionem cum orationis copia coniungere. Vos Romani Romanum humanitate veſtra complectimini, Iuuenes iuueni fauete, & in hoc virtutis ſtadio currenti, currentes ipſi, iamq. antegreſſi clamore & plauſu animos ad currendum addite. Ego vero quo minus ingenio poſſum, tanto magis ſtudio, labore, diligentia connitar, vt & tam egregio Pij Pontificis de me iudicio, & expectationi veſtræ, & muneri meo aliqua ex parte ſatisfaciam. Sæpiusq. non quid ego hac mea quantulacumq. eſt facultate poſſim, ſed quid potius præſtare debeam cogitabo. Huius autem diei iucundiſſima recordatio ſæpe me excitabit, & acres virtutis ſtimulos admouebit, mihiq. aſſidue ante oculos, Cardinales Illuſtriſſimi, conſpectus veſter, atque hic ampliſſimus clariſſimorum virorum conſeſſus obuerſabitur, ac quoties in hunc locum aſcendero, quoties ſubſellia iſta reſpiciam, toties vobis ſingularis & diuini beneficij, quo me hodierno die ornaſtis, gratias agam, meq. tantum vobis, quantum mortalem mortalibus vix fas eſt, debere recordabor. DIXI.

Præfatio ad Ariſtotelis Rhetoricam in Gymnaſio Romano habita.

QVAE duæ res illorum animos plurimum mouere, & poſſunt, & debent, qui ingenij viribus ad virtutem excitati, & laudis ac gloriæ ſtudio incenſi, optimis & liberaliſſimis artibus, quibus præcipue ad humanitatem informamur, acerrime incumbunt, & in publicis Gymnaſijs viros doctiſſimos frequenter audiunt, eæ, vt ſpero, ambæ pro me facient hoc tempore. Scriptoris inquam eruditio, & artis præſtantia. Etenim cum ſuperioribus hiſce diebus, me iterum ad hoc interpretandi munus reuocari viderem, quod vt honeſtiſſimum ſemper, ita valde laborioſum iudicaui, equidem fateor, refugiebat animus, neque graui hoc onus ſuſcipere audebam. Cogitabam in primis rem arduam & periculoſam eſſe, ſolum reliquis audientibus de ſuperiore loco orationem habere, præſertim in celeberrima ciuitate præclaris, & excellentibus

ingenijs, hominibusq. eruditiſſimis affluenti; quid enim difficilius, quam in magna auditorum frequentia, cum de rebus grauiſſimis dicendum ſit, omnibus ſatisfacere? quid porro periculoſius quam ſingulis pene diebus, apud nouos iudices graue ingenij & doctrinæ iudicium ſubire? Nam quoties quis dicit, toties de eo iudicatur. Et quidem facilius homines,& celerius dicentis vitia, quam virtutes animaduertunt. Atque vt ij qui mare aliquando ingreſſi,ex magna iactatione tandem terram attigerunt, adduci vix queunt, vt è portu ſoluant, & eaſdem tempeſtates iterum ſubeant; ita ego cum experientia didiciſſem,quos labores ac difficultates hæc ſtudiorum ratio ſecum afferat,plane pertimeſcebam eadem pericula,quibus ſemel perfunctus fueram, rurſum ingredi. Ceterum cum illorum auctoritas & voluntas,quibus non obtemperare alijs inhoneſtum, mihi nefas eſt, me ad id agendum non ſolum hortaretur, ſed etiam impelleret, collegi ſtatim ipſe me, ac ne in magno hoc, atque ampliſſimo ingeniorum quaſi theatro, omnibus adiumentis deſtitutus verſarer, illud mihi præſidio comparaui, quod onus huiuſmodi aliqua ex parte ſubleuare, & quod caput eſt, veſtram mihi beneuolentiam ad audiendum ſua commendatione conciliare poſſe videbatur. Quamobrem ex omni antiquitate eum potiſſimum ſcriptorem delegi, quo nemo præſtantior, facultatem autem illam, quæ doctiſſimorum hominum ſententia, & pulcherrima, & vtiliſſima ſemper eſt habita. Etenim hoc anno, Deo iuuante,Ariſtotelis librum de arte dicendi explicare conſtitui, opus ſane arduum, ac difficile, & magni laboris, ſed tamen audendum eſt, quandoquidem & in rem præſtantiſſimam, & libero homine dignam maxime omnis hic noſter labor, & induſtria impendetur,& non aliquem ex minutorum rhetorum numero, ſed Philoſophorum omnium Principem,& quaſi quendam Deum, Ariſtotelem Ducem ſequemur, qui ſingulari quodam Dei munere mortalium generi datus videtur, vt quicquid rerum omnium parens, & procuratrix natura admirabili artificio fabricata eſt, tāquam eius ſcriba via & ordine accuratiſsime deſcriberet, & veritatem naturale animorum noſtrorum,mentiſq. pabulum, multis errorum tenebris inuolutam, incredibili ac prope diuina ingenij vi erueret, atque explicaret. Itaque & naturæ obſcuritatem illuſtrauit, & differendi ſubtilitatem oſtendit, & quæ hominum vitam & mores, omnemq. bene viuendi diſciplinam pertinent, dili-

gentiſ-

gentiſſime eſt perſecutus. Iam vero de tota dicendi ratione vſque adeo acute, ſubtiliter, enucleate ſcripſit, vt nihil tribus illis aureis libris magis perfectum, & elaboratum fieri poſſit. Nam ſi reliquos rhetores euoluamus, qui infinita fere volumina oratorijs præceptis impleuerunt; ac cum Ariſtotele velimus conferre, multa illos quidem præclare dicere reperiemus, multa conari, plura etiam inchoata & quaſi adumbrata relinquere; neminem autem ad illud ſummũ, abſolutum, expletumq. omnibus numeris præter hunc vnum perueniſſe. Hunc igitur Iuuenes nobiliſſimi, tamquam perennem fontem relictis riuulis conſectemur; atque ex eo nobiliſſimæ artis præcepta hauriamus, quæ non ſolum liberaliſſimam animi oblectationem continent, ſed magnos etiam vtilitatis fructus præbent. Etenim cum nihil pulchrius, nihil amabilius ſit in vita, quam ciuilis hæc ſocietas & communio, quæ homines inter ſe conciliat, & naturali quodam vinculo coniungit; profectò multarum magnarumq. rerum, quæ ad bene beateq. viuendum pertinent, adminiſtra, atque effectrix eloquentia, nobis præcipue colenda eſt, cuius potiſſimum auxilio hæc hominum coniunctio, & communitas ſeruatur. Diuina quædam res eſt Philoſophia, animi cultura, naturæ indagatrix, Dei donum, & inuentum. Quis tandem id neget? ſed tamen multos in Ciuitate Philoſophos eſſe, ſi quis acutius conſideret minus fortaſſe vtile videatur. Illi enim dum mentis oculis diuinarum rerum pulchritudinem intuentur, & in cęlum vſque penetrant, magno animo elatoq. res humanas deſpiciunt, caduca hæc bona, & fugacia ſubter ſe habeat; & in vna modo contemplatione penitus defixi, quid in Ciuitate fiat, quid in foro, & Curia; de pace, aut bello deliberetur, nihil cenſent ad ſe pertinere. Itaque hanc hominum colligationem, quæ Ciuitas appellatur, qua ciues inter ſe naturæ, & legum vinculis connectuntur, quantum in ipſis eſt, diſſociant & diſſoluunt. Nam de medicina quid dicam? an eſt quiſquam tam impie ingratus, qui eam artem vituperare audeat, quæ ob eximiam eius vtilitatem iure optimo poetarum carminibus deorum immortalium inuentioni fuerit conſecrata? Verum cum ex animo conſtemus & corpore, multoq. magis homines ſimus propter animum, quam propter corpus, Medicina corpus tantum tuetur, & illius ęgrotationes curat, animi autem morbis, qui ſane grauiores & pernicioſiores ſunt, nullam fere adhibet curationem. mitto, quod non Vrbes

ſolum, ſed populos, & nationes multis ſæculis medicis caruiſſe memoriæ traditum eſt. Iam vero iuris ciuilis ſcientia præclara illa quidem eſt, & pernecesſaria, legibus enim ciuium ſalus, & Ciuitatum incolumitas continetur, nam quę poteſt eſſe quieta, & beata vita, niſi improborum audacia legum ſeueritate, & ſuppliciorum metu coerceatur; bonorum autem virtus præmijs, & honoribus, quaſi ſtimulis quibuſdam incitetur? Quo fit, vt huius diſciplinæ ſubſidio ſæpe vtatur eloquentia, & ſane affines inter ſe ſunt, & finitimæ. Sed tamen tota hæc ſiue ars, ſiue facultas in iudicijs, controuerſijs, & diſceptationibus verſatur; alteram vero deliberandi partem, quæ latius patet, & omnes reip. vtilitates complectitur, quęq. ſummo in honore ſemper fuit, vix, aut ne vix quidem attingit. Quamobrem Iuuenes ornatiſsimi ad hæc eloquentiæ ſtudia alacri animo ingrediamur, quibus patriam ſeruare, amicis, & propinquis opitulari, nobis ipſis prodeſſe poſſimus; hæc enim ſtudia in proſperis rebus nos oblectant, in aduerſis opem, & ſalutem ferunt, vigent in ſenatu, dominantur in iudicijs, populi maximos plauſus & clamores excitãt. Quod ſi aut cum principibus, & magnis viris grauia negotia tractamus, aut cum amicis rerum colloquia leuiorum inſtituimus, ſemper & fructuoſa ſunt & iucunda, locisq. omnibus, perſonis, ætatibus, temporibusq. accommodata. Quarum rerum facultatem ſi aſſequi cupimus, nobis frequenter audiendus eſt Ariſtoteles, atque hi tres perbreues quidem, ſed plane aureoli libelli diligenter legendi, ediſcendi, ita vt penitus inhæreſcant in mentibus. Quæ de ſcriptoris, & artis præſtantia, & nobilitate dixi, ea vobis Iuuenes nobiliſſimi confido eſſe probata. Vtinam quæ à me præſtanda eſſent, prolixe adeo, polliceri poſſem. Dabo tamen operam, & pro eo ac debeo totis viribus connitar, vt quantum ad hoc munus eloquendum ingenij, & doctrinæ detractum, tantum ſtudij, laboris, diligentiæ additum eſſe videatur.

ORATIO SECVNDA.

Pro S. Stephani feſto conſcripta.

Pater Beatiſsime Cardinales Illuſtriſsimi.

SI temporibus antiquis, apud nobiles illas, illuſtresq; Græcorum Reſpublicas, non ſolum patrio maiorum more optime inſtitutum, ſed legibus etiam prudenter ſancitum erat, vt ij, qui pro ſalute Patriæ fortiter pugnãdo, in acie cecidiſſent, præter publici ſepulchri monumentum, ornata quoque & copioſa oratione, a viris eloquentiſſimis celebrarentur, profecto multo magis nos Chriſtianos decet, ſanctorum Martyrum inuictam fortitudinem, glorioſamq; mortem veris laudibus, in Cælum efferre. Quamquam non ea quidem de cauſa, quod ipſis celebratione noſtra, qua nihil indigent, ſplendoris aliquid addere poſſimus: ſiquidem in memoria æterna erit iuſtus, ſed vt nos ipſos, dum illorum res geſtas commemoramus, quibuſdam quaſi ſtimulis, ad virtutem, & Religionem excitemus. Mihi itaq; hodierno die, Deo iuuante, qui infantibus etiam dicendi facultatem, & eloquentiam largitur, fortiſsimum Chriſti militem Stephanum laudare propoſitum eſt. In quo laudationum leges non ſequar, vt à Patriæ, Parentumq; nobilitate aliquid ſumam. Etenim nec mundi huius gloria ornare illos poteſt, quibus mundus ipſe crucifixus eſt, & ipſi mundo, & quorum Patria Cælum eſt, & Pater Deus; nec ſane neceſſe eſt eum alieno lumine illuſtrare, qui per ſe ſe ſplendet, propriæq; virtutis meritis decoratur. Hic igitur ille eſt Stephanus, qui primus Imperatoris ſui veſtigia perſecutus, iterq; nondum tritum ingreſſus, ſe ipſum, vitamq; ſuam æterno Patri obtulit, mortemq; magno & excelſo animo oppetijt, vt Chriſti doctrinam graui teſtimonio comprobaret, & veritatem, quę diu in occulto latuerat, in omnes gentes, totiuſq; poſteritatis memoriam propagaret. Celebrent nunc antiquæ Romanorum Hiſtoriæ, Decios illos, & Fabios, ceteroſq; egregios Duces, qui ſe pro Republica deuouerunt; quorum mortem fortunatam arbitrabantur, quod vitam naturæ debitam Patriæ potius dediſſent, quibus elogia inſcribebant, Sepulchra erigebant, Statuaſq; ſtatuebant, illis tamen omnibus, magnis qui-

dem, & clariſsimis viris, longe Stephanus, cum virtutis præſtantia, tum etiam charitatis gloria antecellit. Illi enim pro terrena hac Patria pugnantes occubuere, hic autem pro cæleſti. Illi pro vnius ciuitatis, vniuſq. exercitus incolumitate in medias hoſtium acies irruebant, hic pro omnium mortalium ſalute. Vt quantum in ſe eſſet, vniuerſum Terrarum Orbem veram eundi in Cælum viam doceret. Illi poſtremò vt populares laudes, & caduca præmia conſequi poſſent, hic vt diuina felicitate, & perpetua Beatitudine omnibus ſæculis cum Deo frueretur. O Stephane, tuo nomine planè digne? quem magnus, & omnipotens Imperator Deus, inuictę fortitudinis ergo, corona illa coronauit, quæ nulla vmquam vetuſtate confici, aut conſumi poteſt. Tu plenus gratia Spiritus ſancti, ſigna magna, & prodigia in populo edebas, tu in medio glorioſi certaminis tui ardore, Cælos apertos videbas, & ſempiternæ vitæ ſuauitatem, quam paulo poſt cumulatè percepturus eras, animo, & mente prægustabas. Tu cum ſceleratæ Iudæorum manus corpus tuum lapidibus obruerent, fixis in Cælum oculis orabas (o pietatem admirabilem, & clementiæ Magiſtri tui expreſſam imaginem) orabas inquam Deum pro interfectoribus tuis, ne ob id, quod in te nefarie commiſerant, peccaſſe illos ſtatueret. Quam ſtabilem igitur, firmamq. fidem in hoc fortiſſimo Martyre fuiſſe credimus? Quam viuam viridemq. ſpem? quamq. diuini amoris flammis ardentem charitatem? Etenim quid ita Stephanus cum lapidibus percuteretur, graues ictus non ſentiebat? quia Chriſtum vnicè amabat. Cur plagas & vulnera contemnebat? quia in Chriſto ſpem omnem repoſitam habebat. Cur denique acerbiſſimos cruciatus, tanta conſtantia appetebat? quia Chriſti Dei filij cæleſtem diſciplinam, aduerſus ſtultos mundi huius ſapientes tueri volebat. O Chriſtiana Religio? vere ille cæcus eſt, qui veritatis tuæ clariſſimam lucem non videt. Illos ego miſeros & infelices, qui inferni tenebris, & caligine occęcati Solem iuſtitiæ aſpicere non poſſunt, mihi velim dicere. Quanam arte Ieſus Chriſtus Saluator noſter, eiusq. Diſcipuli, vniuerſum prope Terrarum Orbem, ab impio Deorum cultu auocauerint, ſibiq. adiunxerint? Quæ illa fuit eloquentia? quę machinæ ad hominum animos contorquendos ſunt adhibitæ? Equidem nec Imperia, nec diuitias, eis pollicebantur, quos pauperibus ſua omnia dare iubebant: nec peccandi licentia voluptatumq. illecebris, tamquam

laqueis irretiebant. Immo illis ante oculos temperantiam, paupertatem, hominum iniurias, & ignominiam, mortem poſtremo ipſam, & Martyrium proponebant. Audiant Magiſtrum ipſum loquentem, & inaudito orationis genere, Auditores in ſententiam ſuam trahentem. Siquis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Diligite inimicos veſtros, benedicite his qui oderunt vos. Ecce ego mitto vos ſicut oues, in medio luporum, & eritis odio omnibus propter nomen meum. Hęc illius, hæc Apoſtolorum erat oratio. Et tamen qui hominum concurſus fiebant? quanta audientium multitudo erat? vt non ſolum domus, & Ciuitates, ſed Populi, & Prouinciæ ab inueterata Deorum ſuperſtitione ad veram Religionem traductę fuerint. Nam quid ego de inuicta Martyrum patientia loquar? Etenim quæ carnificum tormenta, quos cruciatus inſatiabilis Tyrannorum crudelitas non adhibuit? quos Eculeos? quas carnificinas, illæ in hominis figura efferatæ, atque immaniſſimæ beſtiæ non excogitarunt? vt Chriſtianos vero Deo relicto, mendacium Deorum ſimulacris ſacrificia facere compellerent? Attamen, non viros modo fortes, & robuſtos, ſed neque pueros imbecillos, neque infirmas mulierculas ſuperare potuerunt. Nam infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia. Itaque illarum virtute, & conſtantia, ſæpiſſime ſęuum humani generis hoſtem domuit; quo maior illius dolor eſſet, cum à muliebri imbecillitate, qua nos ille primum vicerat, inſigni victoria vinceretur. Quapropter fortiſſimi, & conſtantiſſimi Martyres, valida lorica, hoc eſt Spiritus ſancti gratia tecti, atque armati, tranſibant per ignem, & aquam, nullius ſupplicij timore retardati, nulliusq. præmij dulcedine illecti. Hinc caducas, & fragiles diuitias contemnebant, vt cæleſtia bona conſequi poſſent. Hinc terreno hoc domicilio priuari volebant, vt Cælum haberent. Mundi infamiam vltro ſubibant, vt Coronam gloriæ obtinerent. Lucem denique hanc amittere, & breui vita per maxima tormenta ſpoliari eligebant, vt beatam illam atque æternam adipiſcerentur. Itaque in medio carnificum, & tortorum, cum conquiſitiſſimis cruciamentis crudeliter laniarentur; tanquam ſi inter flores eſſent, canebant, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quid enim timerent, qui corpus tantum occidunt, animam autem non poſſunt occidere? quiq. vas fictile San-

le Sanctorum perfringunt, Theſaurum vero quod intus reconditum eſt, diripere non queunt? Calcabant igitur Serpentes, & Scorpiones, teterrimos ſcilicet & truces Tyrannos, priusq. valentium lictorum lacerti, cędendo deficiebant, quam Martyrum tolerantia vincerêtur. Quorum vox illa amoris, pietatisq. pleniſſima, inter verbera & vulnera audiebatur, Chriſtianus ſum, quoque acrius torquebantur, Eo magis clamabant, Chriſtianus ſum; Deoq. adiutori ingentes gratiâs agebant, quem ſuppliciter precabantur, vt inimicis ſuis, plane quid facerent neſcientibus, ignoſceret. Quemadmodum fortiſſimus Chriſti Athleta Stephanus hodierno die pro Iudæis orabat. Qui quidem dies communi omnium Chriſtianorum lętitiâ coli, & celebrari debet ob glorioſum clariſſimi huius Herois Triumphum; nobis vero adhuc lętior illuxit; quod hoc quoque die magno Dei numine contigit, Sanctiſſimum, & vere pium Paſtorem noſtrum Corona Pontificia coronari. Quod vt ipſi, & Chriſtianæ Reipub. per multos annos fauſtum, fortunatumq. ſit; vtq. diu Chriſti Gregem per ſummam tranquillitatem, & concordiam proſpere, & feliciter regat, omni precatione ab immortali Deo petere debemus. Nũc autem ad te Stephane beatiſſime (quod mihi vnum in hac Oratione reliquum eſt) ſermonem meum conuerto, teq. per Martyrij tui victoriam, perq. illas preces, quas pro hoſtium ſalute in extremo ſpiritu fudiſti, oro, atque obteſtor, vt omnipotentis Dei clementiæ, & miſericordiæ, continue quod facis, Chriſtianum Populum commendes. Seruet Dominus Eccleſiam ſuam, eius vnici filij morte, & ſacro Martyrum ſanguine latiſſime propagatam. Stet immobilis Turris iſta quę firmę Petræ fundamento nititur. Ipſe veritatem Religionis ſuæ aduerſus impias hæreſes tueatur. Ipſe Sponſam ſuam conſoletur, lugentẽ quotidie de omnibus ijs, qui peccauerunt, & pœnitentiam non egerunt de peccatis ſuis. Subleuet dextera prępotenti illos, qui corruerunt, & erigat omnes eliſos. Vt tandem eius pietate, quæ ſola inueteratis Chriſtianæ Reipub. vulneribus, ſalutarem medicinam adhibere poteſt, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent, in lucem emergant, ouesq. vagę & diſperſę, Paſtorem ſuum vnum, propriumq. agnoſcant, & membra miſerabiliter diuulſa, atque abſciſſa, ſacroſancto mitiſſimę Matris Eccleſiæ Corpori, cuius Caput ipſe eſt Chriſtus, arctiſſimis compagibus coniungantur. DIXI.

ORATIO

ORATIO TERTIA.

In exequijs Imperatoris Ferdinandi in Baſilica SS. Apoſtolorum habita.

Pater Beatiſsime.

ET ſi ego potiſſimum hodierno die hoc onus, munusq. ſuſcepi, Maximi Imperatoris mortem deflendi, deq. eius dicendi laudibus, id tamen argumento nequaquam eſt, me vnum præter ceteros, aut grauiſſimum Chriſtianæ Reip. vulnus dolentius deplorare, aut præclaras optimi Principis virtutes copioſius, ornatiusq. explicare poſſe. Sed profecto illud potius æſtimare hinc licet, tantam eſſe huiuſce mortis acerbitatem, dolorisq. magnitudinem, vt ad vniuerſos homines, omnium generum, atque ordinum pertineat, nullusq. modo Chriſtianus ſit, non ita animo afficiatur, vt tamquam in ſuo, & proprio luctu ſibi dolendum putet: rurſusq. tales eſſe, ac tantas plane diuini hominis virtutes, vt in illis enumerandis, nemini orationis copia defutura videatur. Quamuis itaque multis me vel ingenij, vel exercitationis præſidijs ad dicendum deſtitui non ignorem, tamen & Pij Pontificis clientem, ac ſeruum, cum Patronum, & Dominum ſuum ex optimi & cariſſimi filij morte, magno animi dolore commmoueri videat, ipſum quoque flere decet, & Romanum hominem, Romanorum Imperatorem colebrare, conſentaneum eſt. Quamquam huiuſmodi ſunt Ferdinandi Auguſti res geſtæ, vt externa ornamenta, & oratorij artificij lumina non requirant, ipſæ enim per ſe extant, atque eminent, & narrari modo, non etiam ornando amplificari deſiderant. Memoria tantum ad percenſendum opus eſt, neque tamen vniuerſa numeranda & oratione complectenda ſunt. Id enim immenſum quiddam, & plane infinitum eſſet. Quapropter nonnulla tantum breuiter attingam, ex quibus reliqua etiam ſpectare, & tamquam expendere facile erit: quemadmodum ex ſolo hominis capite, aut etiam pede, ceterorum membrorum magnitudinem, & totius corporis proceritatem metiri, atque æſtimare licet. Vt igitur quæ minus noſtra ſunt, nec propria animi bona cenſentur, generis inquam nobilitatem, & maiorum

gloriam omittam, quotus enim quiſque eſt qui ignoret? Ferdinandum Auguſtum, ex vetuſta & nobiliſſima Auſtriorum familia ortum eſſe, quæ vna à Deo, ad Chriſtianæ Reip. & Religionis noſtræ defenſionem data diuinitus videtur, ex qua tot Reges, tot Imperatores prodierunt, qui vniuerſum terrarum orbem victorijs, & triumphis illuſtrarunt; quamquam magnum hoc eſt, nam ex regia & generoſa ſtirpe proficiſci, magnam futuræ virtutis ſpem afferre ſolet, ſed tamen ſunt alia maiora, & ipſius Ferdinandi propria, Religio inquam, iuſtitia, conſtantia, fortitudo, & admirabilis quædam, ac penè diuina, in regendis populis, & Romano Imperio tuendo, cura, atque prudentia. nullam hic ſibi partem Fortuna vindicat, nihil ex hac gloria decerpit, neque vt bellicis laudibus plerumque accidit, aut cum illa ipſa bellorum domina, aut cum militum virtute, locorum opportunitate, æneorum tormentorum apparatu, hanc laudem communicare neceſſe eſt. Sed quantacunque eſt, quæ certe maxima eſt, tota ipſius Ferdinandi eſt, & propria. Nam vt de Religione primum dicam, quæ virtutum omnium tamquam fundamentum quoddã eſt; quis vmquam Romanos Pontifices maiori pietate, atque obſeruantia coluit? quis Romanæ Eccleſiæ, quæ Eccleſiarum omnium mater eſt, & magiſtra, aut libentius paruit, aut eam maiori veneratione eſt proſecutus? qui ſeipſum felicem & fortunatum fere arbitrabatur, ſi pro eius maieſtate vitam, & ſanguinem profudiſſet: à qua quidem animi firmitate & conſtantia, Princeps optimus, non ſolum alieno impulſu, ſed neque proprio dolore deijci, aut dimoueri vmquam potuit. Fidei vero Catholicæ incorruptam integritatem, quam à maioribus acceperat, liberis etiam ſuis hereditariam reliquit. Etenim cum nobiliſſima Prouincia, flos & firmamentum Romani Imperij, nouis & peſtiferis opinionibus imbuta, dum inconſutilem Chriſti Tunicam diſcindit, miſerabili incendio conflagraret, illum hęc flamma non attigit; quamquam intimis ſenſibus, & maximo dolore angebatur, nullaq. eum cura ſollicitabat vehementius, quam vt tot flammas reſtingueret, tot diſſenſiones & diſcordias ſedaret. O rem inauditam, & plane admirabilem? quis ignem in ſinu geſtat, & veſtimenta illius non ardent? quis ſuper prunas ambulat, & plantæ illius non comburuntur? hic tamen Princeps religioſiſſimus, tamquam alter Loth, cum deteſtabilis lues ipſius Regna longe, lateq. peragraret, & in ipſis Imperij viſceribus hęreret, nulla peſtis contagione

eſt

eſt inquinatus, & quamuis in medijs eſſet fluctibus, iactari quidem potuit, mergi vero numquam potuit. Nam per Deum immortalem; quid illo Principe laborioſius? quid magis exercitum dici poteſt? ex vna quidem parte ferus & potentiſſimus hoſtis Turca, eius Regnis imminebat: ex altera vero hæreticorum machinis oppugnabatur; Sed tanta erat laborum patientia, tanta excelſi, inuictiq. animi fortitudine & conſtantia, vt neque ſe proſperis rebus efferri, neque aduerſis frangi, aut debilitari pateretur. Itaque & ſua Regna tutatus eſt, & religionis reſtituendæ curam, numquam depoſuit. Nam vt illud omittam, quod œcumenicum Concilium conuocari vnus omnium maxime expeti optauerit, quod à Romanis Pontificibus ſæpe indictum & inchoatum, ſæpe etiam calamitoſa temporum conditione interruptum, ab ijſdem inſtaurari, aſſiduis precibus enixe curauerit, certo extremo hoc tempore, quo Tridentinum Concilium Pij Quarti auſpicijs celebratum eſt, egregiam animi pietatem, ſingulare Chriſtianæ religionis propagandæ ſtudium, incredibile pacis & concordiæ deſiderium apertiſſime declarauit. Gaudebat optimus, & Chriſtianiſſimus Princeps, & immortales Deo gratias agebat, eum tandem Pontificem renunciatum eſſe, qui in hanc vnam potiſſimum curam toto pectore incumberet, vt diſperſas Chriſtiani gregis oues, ad Catholicæ Eccleſiæ communionem reuocaret, atque reduceret. Eius enim ſenſus & cogitationes omnes cognitas & perſpectas optime habebat; qui illi ante Pontificatum, omnibus amicitię & beneuolentiæ vinculis coniunctiſſimus ſemper fuerat. Neque vero ſpe ſua decidit. Quandoquidem incredibili Dei benignitate, ſumma duorum maximorum Principum animorum, & voluntatum conſenſione, qua reliqui etiam Reges & Reſp. inuitatæ, & tamquam facibus admotis ad eandem ſtudiorum ſocietatem excitatę ſunt; ſingulari quoque Legatorum Apoſtolicæ Sedis virtute & vigilantia, & ſanctiſſimorum Patrum aſſiduis laboribus factum eſt, vt ſacroſanctum Tridentinum Concilium, antiquis illis & doctiſſimorum hominum frequentia, & rerum geſtarum magnitudine comparandum, longo interuallo, Deo, hominibusq. approbantibus feliciſſime abſolutum ſit. Quod vbi cognouit, vere Catholicus Imperator, quo gaudio exultauit? qua lętitiæ voluptate perfuſus eſt? vt iam ſibi mortem ſuauem, & iucundam fore affirmaret. His monumentis, Pater Beatiſſime, Ferdinandus Imperator, religionis ſuę

memoriam ad immortalitatem conſecrauit. Nam illa Chriſtianæ pietatis officia, quæ plerumq. domeſticis parietibus teguntur, ſolemnibus ſacrificijs,& Dei laudibus non ſolum matutinis, ſed & veſpertinis intereſſe, Dei verba attentiſſime audire, ſæpius à peccatorum labe Chriſtiano ritu expiari, pauperum inopiam, & egeſtatem ſua liberalitate ſubleuare, & reliqua huiuſmodi, ex quibus religioſiſſimi Principis ſanctitas non mediocriter elucebat, ſilentio prætereo. Ex hoc fonte ceteræ illæ virtutes fluxerunt, Iuſtitia quæ virtutum omnium tamquam regina eſt, qua Reges ipſi ad Dei ſimilitudinem maxime accedunt, qua vna præcipue, hæc ciuilis hominum communio,& conſociatio continetur, eximia liberalitas,& magnificentia, clementia vero & manſuetudo tanta, vt nihil illo Principe humanius, nihil lenius fieri poſſet. Nemini ad illum aditus interclusus erat, priuatorum etiam querimonias ſingulari humanitate audiebat, neminemq. iniuſte ab aliquo lædi patiebatur, ita vt omnium Pater eſſet non dominus,& qui Imperatoria dignitate maxime Regibus excellebat, facilitate par infimis eſſe videretur. Iam vero quantum conſilio,quantum prudentia valuerit,& ſi res ipſę loquuntur, tamen à me prætereundum non eſt. Quantæ enim ſapientiæ hoc fuit, in tanta religionis diſſenſione, quam rerum omnium perturbatio,atque euerſio conſequi ſolet,in tantis hæreſum tempeſtatibus, quibus nobiliſſima regna non ſolum iactata, ſed fere euerſa ſunt, quietem & tranquillitatem tueri potuiſſe? Sed quodnam illuſtrius aut grauius huius rei teſtimonium afferre poſſum, quam Caroli Quinti fortiſsimi,& ſapientiſsimi Imperatoris, germani eius fratris iudicium? illius inquam Imperatoris, in quo vno ſummam fortunam, cum ſumma virtute coniunctam vidimus, cuius laudes omnium ſæculorum poſteritas celebrabit, cuius gloriam nulla vmquam obſcurabit obliuio. Hic igitur tantus Imperator, virtute, felicitate, in maximis bellis gerendis Ferdinando fratre, ſocio & adiutore vſus eſt; nam & ſi Ferdinandus pacis & otij artibus magis floruit, non tamen bellica laude caruit. Quippe qui & fraternarum victoriarum particeps fuit, & Turcarum impetus ſingulari fortitudine ſæpe repreſsit, & tanquam propugnaculum Chriſtianæ libertatis, Solymanum maximis copijs Italiæ minitantem retardauit; Ita vero ſe viciſsim concordiſsimi fratres diligebant, ita ſe mutuis officijs colebant, vt alter alteri caritate filius, obſeruantia parens

eſſe

eſſe videretur. Iam vero quod in Poetarum fabulis eſt, Atlantem vt ſe ipſum pondere leuaret, Herculis ceruicibus Cælum impoſuiſſe, ita plane Carolus, primum quidem in rep. adminiſtranda Ferdinandi Cæſaris adiumento eſt vſus, tum ad extremum totum illi onus, atque vniuerſam Romani Imperij regendi prouinciam tradidit. Ac mihi quidem duorum poſt hominum memoriam clariſsimorum fratrum res geſtas intuenti illud potiſsimum admirandum videri ſolet, vtrumque diuerſa admodum, ac diſſimili ratione, parem atque æqualem laudem conſecutum eſſe. Ille enim dum maximum Imperium deponit, hic dum ſuſcipit, ille dum quaſi graui curarum onere abiecto ad cæleſtis gloriæ palmam properat, hic dum ad extremum vſque ſpiritum hominibus prodeſſe ſtudet, vtriq. præclarum animi magnitudinis exemplum poſteris reliquerunt. Etenim Ferdinandus nunquam fere à publicis negocijs, & rerum maximarum adminiſtratione requieſcere conſueuerat. Sed inuicto quodam animi robore nullis laboribus ſuccumbebat. Nam quanta conſtantia fuerit, cum ſæpe alias in rebus aduerſis tolerandis, & fortunæ telis fortiter repellendis, tum etiam in hoc quaſi extremo vitæ actu, luce clarius indicauit. Nam cum graui & diuturno morbo ita affectus, atque afflictus eſſet, vt ſi ad grauem valetudinem, negotiorum labor acceſsiſſet, exigua vitæ ſpes ſupereſſet, tamen ne ſui diſsimilis videretur, emori malebat, quam minus quam poſſet Chriſtianæ Reip. cõſulere. O fortiſsimum Imperatorem! O optimum Principem. qui ne vltimum quidem vitę diem ab Imperatorio officio ac munere vacuum eſſe voluit. Quid ego nunc incredibilem illius patientiam in perferenda morbi acerbitate commemorem? qua doloris vim adeo ſuperabat, vt ſi quis corpuſculum illud non iam viuentis hominis, ſed potius ſpirantis mortui imaginem, aſpiceret, Ferdinandum non agnoſceret, idem vero ſi conſtantiam attenderet, priſtinam virtutem, & inuictam animi fortitudinem plane agnoſceret. Quid quod tamquam alter Iob Deo ſemper gratias agebat, eius ſolo nomine recreabatur, & in ſola futuræ vitæ cogitatione conquieſcebat. Itaque vt vitæ ſanctiſsime, & integerrime actæ, mors quoque conſentanea foret, cum dies celeberrimus glorioſo Iacobi Apoſtoli martyrio conſecratus veniſſet, quem diem ipſe plane diuina quadam præſagitione longe ante extremum ſibi fore prædixerat. Cum iam ex Chriſtianę religionis inſtitutis ad mortem paratus atque expeditus eſſet,

cum liberos ſuos amantiſſimos optimis conſilijs ad pietatem & iuſtitiam inſtruxiſſet, cum iam Cęlos apertos intueretur, & terreni huius carceris vincula diſſolui cuperet, atque hinc ad Chriſtum euolare, in hac ipſa ſempiternæ beatitudinis meditatione Princeps ſanctiſsimus exceſſit è vita. Equidem hoc loco ſi illud tantum nobis ante oculos proponamus, virum optimum, veteris pietatis & innocentiæ exemplum, ſancte adeo ac religloſe ex huius vitæ miſerijs in cælum migraſſe, quando qui in domino moriuntur beati, & felices ſunt, ſanè Ferdinandi mortem non lacrymis, ſed gratulationibus proſequendam arbitrabimur. Quod ſi quantum præſidij reſp. amiſerit contemplemur: quiſnam obſecro ita ferus aut ferreus ſit, qui communi calamitate non commoueatur? qui optimi Imperatoris vitam laudibus, aut mortem lacrymis non honoret. Quamquam ſi pro meritorum & doloris magnitudine aut illa laudari, aut hæc defleri deberet, non iam vnius hominis vocem requiramus, ſed vniuerſam Chriſtianam Remp. tamquam in vnum corpus coagmentari neceſſe ſit, cuius lingua optimi Principis vitam ſanctiſſime actam prædicet, oculi vero aſſiduis lacrymis acerbiſſimam mortem deplorent. Ceterum etſi in tanto reipub. vulnere ſatis dolere non poſſumus, tamen noſter hic luctus magno ſolatio leuatur. Nobis enim Ferdinandus, clariſſimum nominis ſui monumentum reliquit Maximilianum filium, effigiem virtutum ſuarum pietatis, prudentiæ, fortitudinis, religionis. Quamobrem Pie Pontifex Maxime iam alterum hunc filium habes, in cuius amore dolorem illum deponas, quem ex parentis morte cepiſti maximum, quem etiam hodierno die declaras, dum luctuoſi huius funeris munus perſoluis, & mortui animam Deo immortalitatis auctori pijs precibus commendas. Hic non ſecus ac Ferdinandus ipſe optimam ad Remp. conſeruandam mentē & voluntatem affert, his tuis conſilijs ſemper obſequetur, atque vt filium parentem decet, te vnum ſingulari obſeruantia colet, ac reuerebitur. Hic maiorum ſuorum gloriæ æmulus, & paternæ pietatis imitator, acerrimus Eccleſiæ defenſor, & Chriſtianę religionis propugnator erit. Tu quoque Maximiliane Auguſte, te enim abſentem, tamquam præſentem appello; quamquam luctu afflictus es, hac tamen conſolatione dolorem minuere, & lenire debes, quod tibi parentis loco Pius Pontifex futurus eſt, qui te tamquam cariſſimum filium vnice diligit, cuius multa erga te pa-

triæ caritatis atque animi officia, & nunc quidem extant, & maiora in dies ſunt expectanda.

ORATIO QVINTA.

In fœdere Heluetiorum ad Pium Quartum.

NEMINI dubium eſſe arbitror, Pater Beatiſſime, rerum omnium naturam, mundumque hunc vniuerſum, cuius admirabilem pulchritudinem & ornatum, partim oculis, partim mente, animoque intuemur, optimi & prępotentis Dei numine, ac poteſtate adminiſtrari; eiuſdemque ſingulari quadam benignitate hominum generi, & humanis rebus conſuli, ac prouideri. At vero nos Chriſtiani, quibus ſolis abdita Regni Dei myſteria noſſe licet, illud quoque compertum, & exploratum habemus, eſſe in terris Eccleſiam Dei, quæ ab eo vnice diligitur, cuius ſaluti & incolumitati paterno amore & caritate proſpicit, quam denique cura ſua, & prouidentia pręcipue ſemper tuetur & regit. Id autem cum ſępe alias ſuperiori tot ſęculorum memoria multis grauiſſimiſque argumentis cognitum eſt, tum maxime hoc ipſo tempore declaratur. Etenim, qualis nam ſit pręſens rerum noſtrarum conditio, quis Reip. Chriſtianę ſtatus, neque ſine magno animi dolore cogitari, neque abſque multis lacrymis explicari poteſt, hoſtis immaniſſimus Turca, odio in Chriſtianum nomen implacabili, imperij magnitudine, atque omni copiarum genere terra, marique potentiſſimus, maxima & inſtructiſsima claſſe Siciliæ maria occupauit, Melitam inſulam obſidet, oppugnatque vehementiſsime, iamque ſi victoria potiri contingat, quod Deus auertat, cum omnibus Chriſtianorum Regum, & Principum prouincijs, tum in primis huic vrbi, cladem, vaſtitatem, ferrum, flammaſque minitatur. Neque enim ignorat hanc Ciuitatem terrarum orbis reginam, caputque eſſe Chriſtianę Religionis domicilium, & Catholicę fidei matrem & magiſtram, atque in his potiſsimum collibus Chriſti Crucem illam, quam ipſe euellere & excindere omni machinatione molitur, altiſsimis

mis defixam eſſe radicibus. Itaque quam graui, formidoloſoque bello premamur, quam multa nobis vndique pericula immineant; nemo non videt. Sed tamen qui diues eſt in miſericordia Deus, ſponſam ſuam cariſſimam, & amantiſſimam numquam obliuiſcitur, pręſensque nobis in difficillimis rebus offert auxilium. Ecce enim a quinque nobiliſſimis Heluetiorum Pagis, qui antiqui fœderis appellantur, illis inquam quorum egregia & pręſtantiſſima virtus, non minus in Catholica religione conſtantiſſime retinenda, quam in prę lijs fortiter gerendis, cognita & perſpecta eſt ad Sedem Apoſtolicam, Romanumque Pontificem Legati; ad cuius ſanctiſſimos pedes vnanimi conſenſu, & voluntate proſtrati ſeipſos, bona, fortunas, liberoſq. ſuos in eius fidem, & clientelam tradunt, Pium Pontificem patronum adoptant, illi dexteras ſuas fide, & fortitudine pręſtantes, paciſque teſtes & obſeruantię tendunt, arma, copiaſque omnes, ac quidquid in ſuorum militum virtute, & robore pręſidij eſt, quod certe maximum eſt, beato Petro, & Pio Quarto eius ſucceſſori, ac Sacroſanctę Romanæ Eccleſiæ pollicentur. Hæc autem omnia Melchiore Luſio viro fortiſſimo, magnæq. apud ſuos auctoritatis, qui eximiam in patriam charitatem, animiq. magnitudinem & conſtantiam, ſępius iam ad Romanos Pontifices Legatus eſt miſſus, quem etiam in conſpectu veſtro aſtare hic videtis, internuntio, atque interprete ſunt geſta. Ipſe enim honeſtiſſime legationis munere fungitur, & publico nomine Sanctum, religioſumque cum Pontifice Maximo, & Apoſtolica Sede fœdus fecit. In quo quidem quid primum admirer, aut quid primum commemorem ignoro; Dei ne immortalis ſummum erga nos amorem? an ſapientiſſimi Pontificis incredibilem prouidentiam; an poſtremo fortiſſimę, & bellicoſiſſimę nationis pietatem, & religionem ſingularem? Nam quis obſecro hoc loco diuinum numen non agnoſcat, quis Dei digitum hic eſſe non videat, quis ſancti ſpiritus afflatu hęc omnia geri non fateatur? Deus Deus inquam filiorum corda ad parentes, & parentum ad filios conuertit, Deus illis hanc mentem iniecit, vt maiorum ſuorum glorię ęmuli, atque imitatores eſſe vellent, ſeque illorum veram & germanam ſobolem, non ſolum bellica virtute, & domeſtico illo, natiuoq. excelſorum animorum robore, ſed multo magis pietate in Deũ, atque hanc Sacroſanctam Sedem comprobarent. Fuit enim ſuperioribus temporibus pręclara illa Heluetiorum omnium, & fere pręci-

pua

pua laus Romanos Pontifices religioſiſsime colere, ac venerari, ſeque Pontificiæ maieſtatis cuſtodes,& propugnatores acerrimos profiteri. Nullius Pater Beatiſsime tantum eſt eloquentię flumen,nullius tanta orationis vis, tamque copia quę fortiſsimę gentis bellicas laudes enarrare, aut clariſsimas victorias enumerare poſsit. Quamquam illę quidem omnium gentium linguis, omnium ſcriptorum pręconijs celebrantur, vigebuntq. totius poſteritatis memoria trophęis,monumentiſque ampliſsimis immortalitati commendatę. Sed illa in primis pręlia maximis omnium ſęculorum laudibus, efferentur, quæ pro fide Catholica, Romanorumque Pontificum ſalute, & dignitate tuenda, non minus pie & religioſe, quam fortiter feliciterque geſſerunt. Quoties hæc Sacroſancta ſedes, cum periculoſis bellis premeretur, à robuſtiſſimis Heluetiorum legionibus auxilium expetiuit? Quoties illi generoſa quadam iracundia incitati, cum parentem optimam impijs armis opprimi viderent, ſumma alacritate accurrerunt? quoties denique incredibili fortitudine ſuperatis, profligatisq. hoſtibus Pontificum auctoritatē imperiumq. defenderunt? quarum rerum memoria litteris commendata, vetuſtis ipſorum annalibus, & publicis commentarijs ſumma fide & diligentia conſeruatur. Vt his tamquam facibus admotis, poſterorum ſuorum animi,ad ſimilem virtutem & laudis cupiditatem excitentur.Quamobrem iure optimo, cum de Catholica Eccleſia, ſummisque Pontificibus pręclare adeo Heluetij meriti ſint,cum alijs multis Apoſtolicæ Sedis honorificentiſſimis decretis ornati, tum illo imprimis pulcherrimo,ſplendidiſſimoque titulo decorati ſunt, vt libertatis Eccleſiaſticę defenſores appellentur. Quo elogio quid illuſtrius,quid glorioſius,quid magnificentius dici,aut cogitari poteſt? dies me deficiet ſi omnia nobiliſſimę, inuictiſſimęq. nationis ad laudem, & gloriam natę ornamenta percenſere velim. Sed quid ego vetera commemoro? en maioribus illis,patribuſque digniſſimos filios intueri licet. Hi enim vere Heluetij dicendi ſunt, qui & antiquam rei militaris diſciplinam, auitumque robur, & quod maximum eſt, eandem Catholicam Religionem, quam a maioribus ſuis longa ſęculorum ſerie acceperunt, conſtantiſſime retinent; neque id ſibi vmquam perſuaderi paſſi ſunt, vt ab hac ſententia decederent, animumve inducerent nouas illas opiniones ſequi, & dogmata, quę a Romanę Eccleſię conſuetudine, quę Eccleſiarum omnium mater eſt, & magi-

ſtra,

ſtra, aliena eſſe, eiuſque grauiſsimo iudicio reijci, & reprobari intelligunt. Cuius ſane inuictę animi firmitatis, & conſtantię, illæ maxima, & certiſsima ſint argumenta, quod ſępe inſtructa acie, ſignisque collatis; cum hęreticis conflixerunt, Deoque auctore, & adiutore exiguis copijs, magnos, firmiſſimosque hoſtium exercitus profligarunt, quid quod paulo ante in Gallia tamquam in ampliſſimo theatro pro Chriſti gloria, & ſociorum ſalute fortiſſima pectora morti obiecerunt, & victoriam reportarunt? Quid quod modo ad tuos, Pater Beatiſſime, pedes tanta animi alacritate publice accurrunt? fœdus poſcunt, dexteras iungunt, atque vt Chriſtianos & vere Catholicos decet, ſe ipſos pro huius ſanctiſsimę ſedis incolumitate deuouent, ſeque nihil ſanctius, nihil vmquam antiquius habituros Pontificia maieſtate Deum hominesque teſtantur; qua nimirum conſeruata, ac retenta, ſe quoque ſaluos, & incolumes fore non dubitant. Tu vero illos in fidem tuam humaniſsime recipis, & tamquam filios cariſsimos paterna pietate, omniq. beneuolentiæ genere complecteris. Qua vna in re Deus immortalis quot bona inſunt? an non vna eademq. ratione, tua Pie Pontifex Maxime ſingulari ſapientia, & Chriſtianæ Reip. quantum in te fuit vniuerſæ, & nobiliſsimę nationi, ac de Catholica fide optimę meritę, & rebus communibus ſanctiſsime & prouidētiſsime conſultum eſt? nam cum in puppi ſedeas, & tanti imperij clauum teneas, dies noctesq. vigilas, & tamquam e ſublimi ſpecula omnes tempeſtates, omnes procellas circumſpicis, atque ita circumſpicis, vt quę impendent, timenturq. ea ne accidant, omni cura, & diligentia in poſterum quam longiſſime prouideas. Quamobrem Heluetios, quamquam tibi priuatim, & familię tuę multis nominibus, veterique amicitia coniunctiſſimos, & ad eius propugnationem paratiſſimos, adhuc tamen arctiſſimis amoris, & ſummę coniunctionis vinculis, illos tecum, & cum Eccleſia copulare, atque alligare non intermittis; ita nos illorum armis, illi Eccleſię auctoritate patrocinio protecti, aduerſus Turcarum, & hęreticorum impetus munitiores, tutioresque erimus. Et quidem Apoſtolicę Sedis prędidijs illos tegi ęquiſſimum eſt, qui pro Catholica veritate omnibus periculis propoſiti, continenter fere cum finitimis hęreticis bellum gerunt. Quę cum ita ſe habeant, cumque hæc omnia bona immortali Dei optimi beneficio conſecuti ſimus; quandoquidem re vera omne datum optimum, & omne

donum

donum perfectum, deſurſum eſt deſcendens a patre luminum, merito Pie Beatiſſime, optimoque iure hodierno die ſancto Spiritui ſolemnibus hiſce ſacrificijs,& ſupplicationibus gratias agi voluiſti. nimirum vt oſtendas, etſi ea omnia, quę noſtra prudentia, humaniſq. conſilijs hoc tempore prętari poterant, iam a te ſumma vigilantia prouiſa & perfecta ſunt;tamen in potentiſſimo exercituum Deo ſpem omnem collocare,illum ſalutis & libertatis noſtrę firmiſſimum pręſidium, & fortiſſimum propugnaculum arbitrari; quo tecti, & muniti omnia pericula, omnem inimicorum vim facile depellere, & propulſare poſſimus. Quod igitur nunc reliquum eſt, te Parentis & Filij ęterne amor Spiritus ſanctiſſime, te conſolatorem noſtrum, te aduocatum, & Patronum, qui pro nobis poſtulas gemitibus inenarrabilibus, te inquam omnibus precibus, & obſecrationibus obteſtamur. Primum quidem vt hęc Sacroſancta fœdera tuo numine ſancias, eaque res Pio Pontifici, Apoſtolicæ Sedi, Catholicis Heluetijs, & Chriſtianæ Reip. vniuerſæ fauſte, proſpere,feliciterq. eueniat,deinde vt nefarios Chriſtiani nominis hoſtes, qui impium nobis bellum inferunt, coherceas, & ſceleratos gladios in nos diſtrictos retundas, atque a noſtris iugulis reijcias, Rhodioſque Equites fortiſsimos, quorum ſanguine inexplebilis barbarorum crudelitas nunc potiſsimum ſaturari deſiderat, Chriſtianam Rempub. vniuerſam, atque hanc pulcherrimam, & florentiſsimam Vrbem,quam Chriſtianæ Religionis caput,& veritatis columnam, & firmamentum eſſe voluiſti, a teterrimorum hoſtium immanitate tuo numine,auxilioq. defendas.

ORATIO SEXTA.

Jn die Feſto omnium Sanctorum.

Pater Beatiſsime, Cardinales Illuſtriſsimi.

SI vnius tantum ſancti viri res geſtas, percenſere, & oratione enumerando complecti, Oratori eloquentiſſimo magnum, & difficile eſſet, profecto omnium Sanctorum Virtutes,cumulate pro meritis celebrare, non modo arduum, & perdifficile, ſed plane ſupra hominis facultatem videtur. Itaque ſi dicendi vſum, qui quam exi-

guus in me ſit, non ignoro, & exiguas ingenij mei vires reſpicerem, non ſolum vehementer commoueri, & mecum ipſe dubitare deberem, ne ſatis poſſem tantam rerum magnitudinem ingenio ſuſtinere, ſtudioq. & diligentia conſequi, ſed prorſus, tanquam nimio pondere oppreſſus, de me ipſo propter animi infirmitatem deſperarem. Ceterum, quando ad illius miſericordiam confugio, qui dat os ad loquendum, & ſapientiam, quiq. infantium linguis eloquentiam largitur, eius auxilio fretus, alacris tamquam vaſtum & immenſum mare ingredior, atque ad ipſum vnum quaſi ad clariſſimam Cynoſuram, orationis meæ curſum dirigo. Hodiernum igitur diem feliciſſima, & glorioſa Mater Eccleſia anniuerſario inſtituto feſtum, & ſolennẽ agit, & Apoſtolorum Triumphos, Martyrumq. ſuorũ victorias, Virginumq. coronas, aliorumq. qui perpetua confeſſione Chriſtianã religionem profeſſi ſunt, memoriam iucunda recordatione cõcelebrat. Illorum ſiquidem virtute, & conſtantia, illorum diſciplina, & præceptis, à paruis orta initijs, in maximam altitudinem creuit, ac per vniuerſum Terrarum Orbem longe lateq. propagata eſt. Etenim Chriſtus Saluator noſter, Diſcipulos ſuos elegit, iuſſitq. illos ire, & fructum afferre, & omnes homines Euangelium docere. Hos vocauit, vt irent poſt ſe, & illi continuo relictis retibus, & Patre, ſecuti ſunt eum. In quo quidem, quis Spiritus ſancti potentiam admirabilem non agnoſcat? quis Chriſtianæ Religionis lucem non videat? piſcatores retia negligunt, filij Parentem deſerunt, vt Chriſtum ſequantur; non ſane ad diuitias, neque ad voluptates, ſed ad crucem, & paupertatem diſcipulos ſuos vocantem. Hi autem hominum Piſcatores facti ſunt; vt diuinæ eloquentiæ retibus, & Euangelij hamo mortalium corda piſcarentur. At uero quid tam inauditum? tam admirandum? quidve ſi humani ingenij captu, aut regula metiaris, tam incredibile dici ac cogitari poteſt? quam homines imperitos & rudes, qui piſcatu vitam ſuam traducerent, Gentium Doctores, & Magiſtros conſtitui, & viros diſertiſſimos ab infantibus, doctiſſimos ab omnis eruditionis expertibus ſuperari? quid quod nihil ſecum meditabantur, neque in ea cogitatione defixi erant, quonam pacto reſponderi oporteret? dabat illis Deus in tempore os, & ſapientiam, cui repugnare, atque aduerſari nemo poterat. Vere ergo, quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt perderet ſapientia, & infirma mundi elegit Deus, vt confundet fortia. Nam

quid ego de inuicta Martyrum fortitudine loquar? quid de admirabili patientia dicam? ij ſunt fortiſsimi milites, qui pro Chriſti gloria deuouerunt ſe ipſos, qui nullis tormentis, nullis cruciatibus, nulla immanium Tyrannorū crudelitate ſuperari potuerunt: qui denique Chriſtianæ Religionis veritatem grauiſsimo teſtimonio comprobarent, non coacti, ſed vltro; ad perſpicuam, eandemq. acerbiſsimam mortem euntes, ſanguinem ſuum fuderunt, & vſque ad extremum ſpiritum acerrime pugnando, dum vincuntur, in acie ipſa victores occubuerunt. Neque hæc virorum tantum eſt laus, ſed mulierum etiam infirmum genus, & pueri imbecilles, virilem conſtantiam ſunt æmulati. Quibus nec vulnera, nec ignes gemitum vllum exprimere poterant, nec vocem illam diuini amoris flammis ardentem intercludere, qua ſe Chriſtianos eſſe conſtantiſsime clamabant. Hi ſunt qui lauerunt Stolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni, hæc ſunt illa tot virorum millia, quæ magnus ille Apoſtolus, & Chriſtianæ ſepientiæ doctor egregius diuino ſpiritu afflatus proſpiciebat, in quorum frontibus Angelus ab oriente veniens ſignum Dei viui imprimebat. Magni igitur in Cælo ſunt, quia fecerunt, & docuerunt, & propterea coronauit illos Deus, quia mandata ſua diligenter ſunt executi. Neque enim ad huius militię Sacramentum quiſquam admittitur, neque militari ſigno decoratur, neque victoriæ Palmam conſequi poteſt, niſi Dei Imperatoris ſuis præceptis pareat, atque obtemperet. Audiant milites Chriſtum Ducem, audiant diſcipuli Magiſtrum: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum. Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt Terram. O quantum, Deus immortalis, cæleſtis Philoſophia, à terrena hac diſcrepat, atque diſſentit? Philoſophi illi antiquiſsimi, qui proprijs erroribus elati, & inflati ſe ipſos ſapientes appellabant, homines locupletes, & diuitijs affluentes, felices eſſe arbitrabantur, Chriſtus vero in paupertate beatitudinem inueniri affirmat. Nam quæ eſt iſta inſatiabilis auri cupiditas? quid prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur, Animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? quanto locupletiores illi, qui caducis diuitijs relictis æternæ gloriæ Theſauros adepti ſunt. Pecuniam in zonis non habebant, qui ſequebantur Chriſtum, at infirmos curare, ægrotos ſanare, mortuis vitam reſtituere poterant? En Petrus Apoſtolorum Princeps, ſola paupertate diues, cum in Templo claudum reſpexiſſet, qui ſibi ex

aliena miſericordia quotidianum victum quærebat; aurum, inquit, & argentum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do, in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. O ditiſſimam paupertatem! o humilitatem excelſam atque ſublimem? vtranq. ſapientibus illis, quos dicebamus ignotam. Ipſi namque dum ſpem omnem in propria virtute reponere, & aliunde non pendere pulchrum, putant, dumq. animi magnitudinem nimijs laudibus extollunt, Chriſtianam humilitatem, virtutum omnium maximum condimentum, non intellexerunt. At vero in ceteris mirum quam diſſentientes à nobis ſint? carere dolore, & voluptatibus frui, ea demum per multis Philoſophis vera felicitas videtur, honoribus autem abundare, & multorum gratia florere, ſummum bonum exiſtimant.: quod ſi quis illis dicat, longe ſe aliter rem habere, & eos qui lugent, miſerijsq. ac ærumnis premuntur, quoſq. homines odio habent, & perijſſe expetunt, fortunatos eſſe: contra vero illos alios miſeros, & infelices; ſane vix riſum teneant, & inſanire prorſus arbitrentur. Nunc autem Deus ipſe hoc aſſerit, Deus clamat, & adhuc homines, pro animorum duritiem? neque audiunt, neque aſſentiuntur. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eſtis, cum vos oderint homines, & maledixerint vobis. Væ autem diuitibus, væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Hæc clamat Deus. Sed nimirum mortalium oculorum acies diuinæ ſapientiæ lucem intueri non poteſt, & ſuperbæ mentes dum ſuis viribus ad videndum niti volunt, tenebris, & caligine obteguntur. Nos itaque quibus Spiritus ſancti lumen obſcura illuſtrauit, & abdita patefecit, Deum audiamus, atque tamquam gradibus quibuſdam ad perpetuam felicitatem aſcendamus. Paupertate, humilitate, miſeriarum tolerantia, ignominiarum contemptione in Cælum itur. Imitemur Apoſtolos, & Martyres, iccirco enim hodierno die Sacroſancta Eccleſia illorum virtutes maximis effert laudibus, vt nos à peccati ſomno excitet, & quaſi acribus ſtimulis ad imitandum accendat. Quod ſi ij, qui mercaturam exercent, quæſtus gratia tot maria tranſeunt, & caput ſuum pene perſpicuæ mortis periculis toties obijciunt, nec fortunarum ſuarum naufragium, nec prædonum incurſiones exhorrent, quid nobis faciendum eſt, quibus Cæli diuitiæ ſunt propoſitæ? Breuia fugacia, & caduca ſunt hæc bona, propter quæ laborant mortales, & vane conturbantur. Illa, illa, quæramus, quę neque tem-

porum

porum iniurijs; nec fortunæ temeritati, nec hominum rapinis ſunt obnoxia. Quid? nos Martyrum fortitudinem imitari non poſſumus? aut præclaram occaſionem non habemus? Ecce bellum inſtat, & victis ſalutare, & victoribus glorioſum. Pugnandum eſt contra impias hæreſes, ſuperandus humani generis hoſtis, qui Chriſtianorum diſſidijs triumphat, concordiam ferre non poteſt. Induite ò milites fortiſſimi Spiritus ſancti loricam, ite alacres ad prælium, nolite quidquam cogitare. Deus omnipotens, Deus exercituum, manus veſtras ad prœlium,& digitos veſtros ad bellum docebit. Ite, Pugnate, Vincite, lauream illam, quæ viriditatem nunquam amittit acquirite. Vobiſcum Apoſtolorum auxilia, Martyrum exercitus, Angelorum legiones erunt. Quid dubitamus? vicerunt Martyres Dei toties mundum; vincent nunc quoque, ſancti Doctores peſtiferas hæreſeum ſtirpes ſæpiſſime radicitus euulſerunt, euellent nunc quoque, & omnes denique beatorum ordines quorum memoriam hodierno die tanto gaudio celebramus, ſua nos ope, ſuis precationibus iuuabunt: eamus igitur forti, & fidenti animo nihil hæſitantes. Defendet Ecleſiam ſuam,cuius caput ipſe eſt Chriſtus. Et dextera eius præpotenti, Turris iſta, ſuper firmam petram fixa, & fundata aduerſus turbulentas tempeſtates, & inſanos turbines, ſtabilis atque immobilis permanebit. DIXI.

ORATIO SEPTIMA.

In die Pentecoſtes.

VENITE gentes, videte populi, opera Domini, quę poſuit prodigia ſuper terram, hodierno enim die cæli diſtillauerunt à facie Dei, & pluuia voluntaria ſegregata eſt hereditati Chriſti. Spiritus ſanctus, Spiritus ille veritatis, quem mundus omnibus flagitijs inquinatus non poteſt accipere, quaſi imber in terram deſcendens, vitali rore Apoſtolos ſanctos, ceteroſq; qui cum illis erant irrigauit. Poſtquam enim Chriſtus Saluator noſter generis humani labes ſuo ſanguine eluerat, mortiſq. & inferorum victor ac Triumphator à mortuis ſurrexerat, omniq. iam certamine confecto, captiuam ducens captiuitatem in altum aſcenderat, atque ad Patris

ad Patris omnipotentis dexteram conſederat, id vnum modo reliquum erat, vt dona daret hominibus, & ſanctum Spiritum, quem toties Diſcipulis ſuis promiſerat, mitteret, vt quemadmodum ipſe hominem hunc ſupra omnes Cælos extulerat, ſic quoque Deus ipſe ineffabili quadam pietate inter mortales verſaretur. Erat igitur Quinquageſimus dies, dies gratiæ, & ſalutis, quo die veteris Teſtamenti legem, quæ tamquam vmbra, & imago quædam anteceſſit, lex Euangelica comprobauit. Nam quinquageſimo die, poſt Iudaici populi ex Aegypto egreſſum, & optatam ab illa Pharaonis tyrannide liberationem, Deus in monte Sina, antequam legem tulit, eodemq. modo Spiritus ſanctus adueniens, poſt quinquaginta dies, ex quo Chriſtus liberator noſter verus Agnus immolatus fuerat, Chriſtianam legem vniuerſo terrarum orbi promulgauit. Huius nimirum diei ſignificatio, & quaſi prædictio quædam fuerat, Quinquageſimus ille Iubilæi Annus, quem Hebræi ſolemni religione celebrabant. Tunc ſiquidem genus humanum acerbiſſima peccati ſeruitute oppreſſum, in libertatem vindicatum eſt. Tunc magnum illud, & graue debitum, primi Parentis noſtri ſcelere contractum, quod nullo vmquam tempore eius filij diſſoluere potuiſſent, nobis eſt condonatum, tunc cæleſtis gloriæ coheredes, & æterni Patris per adoptionem filij facti ſumus. Cum itaque vniuerſæ gentes, quæcunq. ſub Cælo ſunt, ad tanti Iubilæi celebrationem, conuocari deberent, Argentearum Tubarum ſonitum prius vndique exaudiri neceſſe erat. Tubæ vero illæ Apoſtoli fuerunt, quos Spiritus ſanctus inflauit, vt in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Erant Diſcipuli Chriſti vna congregati, illis namq. præceperat ipſe ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent ibi promiſſionem Patris, propterea quod nemini ab Eccleſiæ Catholicæ communione ſegregato, atque diſiuncto, Spiritus ſanctus conceditur, & ecce repente ingens ſonitus de Cælo eſt editus, domuſq. tonitru concuſſa tota contremuit, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, & omnes Spiritu ſancto repleti ſunt. Ac ſtatim æternæ ſapientiæ ſplendore illuminati, cæleſtis charitatis igne accenſi: perinde vt illos, diuini Spiritus afflatus incitabat, varijs omnium gentium linguis loquebantur. Quam cito vbi Spiritus ſanctus Doctor eſt, & magiſter, omnis ſapientia ediſcitur? quam facile præpotentis Dei dextera, & humiles extollit, & ſuperbos, atque

inani fortitudine elatos proſternit. Olim cum vnius labij terra eſſet, homines inſani, & robuſti, Turrim quæ Cælum attingeret ædificare, conati ſunt. Quorum inſanos impetus, & nefariam conſpirationem Deus fortis linguarum confuſione repreſſit, ac diſſipauit. Hodierno autem die Chriſtus Dei filius, diſcipulorum ſuorum humilitatem, & in Chriſtianæ pietatis ſtudio conſentientes animos, omnium linguarum ſcientia & coniunctione extulit, atque illuſtrauit. Illæ ignitæ linguæ Apoſtolorum linguas inflammabant, vt & ipſi frigida mortalium corda incenderent, & æquale Patri Verbum, quod ab æterno erat, carnem factum eſſe populis omnibus nuntiarent. In quo quidem quis non admiretur? atque exclamet? quam profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ Domine, vere omnia in ſapientia feciſti, quænam humana mens, aut quod ingenium capere vmquam potuiſſet? futurum aliquando vt duodecim pauperes, nulla generis aut patriæ nobilitate clari, ſed obſcuri, atque abiecti, nulla doctrinæ opinione inſignes, ſed rudes & inſcij, nulla vi, nullis armis, omnes Reges, omnes Philoſophos ſuperarent, orbemque vniuerſum in eam ſententiam adducerent, vt hominem deſpectum, & Cruci affixum, verum Dei Filium eſſe, mortales crederent, confiterentur, adorarent. Magna eſt Chriſtianæ Religionis vis, magna veritas. Nam quæ noua illa fuit eloquentia? quæ machinæ ad hominum animos contorquendos ab Apoſtolis ſunt adhibitæ? num illis imperia aut diuitias pollicebantur? quos egentibus ſua omnia dare iubebant? num peccandi impunitate, voluptatumq. illecebris, tamquam laqueis quibuſdam irretitos capiebant? quibus ante oculos temperantiam, paupertatem, hominum iniurias, & ignominiam, mortem poſtremo ipſam, & Martyrium proponebant? hæc enim illorum erat oratio, hæc noua illa, & inaudita perſuadendi via, quam à Chriſto magiſtro didicerant. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me. Beati qui lugent. Beati qui perſecutionem patiuntur. Diligite inimicos veſtros, & his qui oderunt vos benefacite. Cumq. hęc ab humani ſenſus conſuetudine tam aliena dicerent, qui hominum concurſus fiebant? quanta audientium multitudo? hoc ipſo die Petro Apoſtolorum Principe, verâ beatitudinis adipiſcendæ viam monſtrante, atque ad pœnitentiam agendam hortante, tria prope hominum millia, in nomine Ieſu Chriſti baptizata ſunt, & Spiritus ſancti do-

num acceperunt. Ille ipſe Petrus, ille inquam qui paulo ante adeo timidus, adeo demiſſo & fracto animo fuerat, vt ad vnius mulierculæ percunctationem Dominum, & Magiſtrum ſuum negaret, nunc in medio tot millium ſtans, vocemq. ſuam attollens, maxima conſtantia loquebatur. Neque id mirum, Spiritus enim Domini ſuper eum requieuerat, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis. hic Apoſtolos docebat omnem veritatem,& ſuggerebat illis omnia quæcunq. loquebantur, hic in eorum corde & labris ſedens, aureum illud orationis flumen effundebat, hic ille erat gladius anceps & acutus, qui in audientium corda ita penetrabat, vt homines illi, qui ex omnibus orbis nationibus ad ſpectaculum conuenerant, mente perturbati, & admiratione obſtupefacti,exclamarent. Quidnam vult hoc eſſe? nonne omnes iſti qui loquuntur Galilæi ſunt? quomodo igitur noſtris linguis eos loquentes audimus? Alij vero irridentes dicebant. Muſto pleni ſunt iſti. O Iudæorum ſtuporē & dementiam! quouſq. ſignis & prodigijs fidem non adhibebunt? Chriſtum Dei filium cum inter eos eſſet,& ſpiritus immundos inaudita poteſtate eijceret, dæmonium habere dicebant,nunc autem diſcipulos eius Spiritu ſancto plenos tamquam ebrios irrident. Itaque peccatum ipſorum non remittetur eis, neque in hoc ſęculo; neque in futuro, quoniam Spiritui ſancto maledixerunt, quamquam plane ebrij erant Apoſtoli, ſed vino nouo, quod veteres vtres diſrumpit. Vino illo quod cor lætificat. Vino veræ illius vitis, cuius agricola æternus eſt Pater. Iudæis quidem feris & ferreis, Vineam ſuam dederat Dominus, & expectauit vt faceret Vuas,& fecit labruſcas. Iure igitur diuinus ille vir prædixerat. Agnouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem non cognouit, & populus meus non intellexit. Nam cum ad illos Verbum Dei miſſum fuiſſet, non acceperunt, propter quod elongatum eſt, & manſit in ſolitudine gentium. Nos qui in tenebris ambulabamus vidimus lucem magnam; nos ſingulari Dei munere genus electum nunc ſumus gens ſancta, & populus acquiſitionis. Sed heu nos ingratos,& tanti beneficij plane immemores. Cum in honore eſſemus,non intelleximus, comparati ſumus Iumentis inſipientibus, & illis iterum ſimiles facti ſumus, vulnera populi Chriſtiani oratione mea non refricabo. Hoc vnum dicam, & magno cum dolore dicam. Tunica Chriſti inconſutilis,ſanctæ Matris Eccleſiæ Corpus,ab ipſis filijs crudeliter

delliter diſcerpitur, & dilaceratur. Tu igitur ſancte Spiritus, cuius in terras aduentum Catholica Eccleſia anniuerſaria celebratione ſanctiſſime colit. Tu conſolator noſter, tu Aduocatus, & Patronus, qui pro nobis poſtulas gemitibus inenarrabilibus, tu ſedentes in tenebris, & in vmbra mortis illumina. Tu Sacroſancto Concilio in nomine tuo congregato lumen atque auxilium præſta. Peccauimus quidem Domine, iniuſte egimus, iniquitatem fecimus. At tu, quæ tua eſt pietas, & miſericordia, ne proijcias nos à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à nobis. Cor mundum crea in nobis Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus noſtris. Redde nobis lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma nos. Vt tandem Petri Nauicula, tantis hæreticorum tempeſtatibus agitata, cæleſti aura ipſius curſum dirigente, atque hoc Pio Pontifice ad gubernacula ſedente, in Portu tranquillitatis ac ſalutis pleno, tute & placide conquieſcat.

ORATIO OCTAVA.

In Exequijs Pij Papæ Quarti.

AEQVVM ſane fuerat, vt qui ſæpius mihi publicè priuatimq. ad dicendum argumenta præbuiſset, ſeipſum tandem orationis materiam daret. Etenim hodierno die, de Pij Quarti Pontificis Maximi ſummis eximijsq. virtutibus dicendum eſt. Argumentum quidem omnium maximum, & præſtantiſsimum, in quo explicando, nemini facile oratio deeſſe poſſit. Idem tamen acerbum, & luctuoſum. Mihiq. in primis, magnum opus ad eloquendum, & perdifficile, homini nimirum, non ſolum multis ingenij, & eloquentiæ præſidijs deſtituto, ſed doloris acerbitate proſtrato, atque afflicto. Accedit quod non apud ignotos aliquos agendum eſt, rerumq. geſtarum ignaros, quibus facile nuda ac ſimplici maximarum rerum enumeratione, nullo verborum ornatu, nullis orationis luminibus, admirationem moueas. Sed apud eos dico, qui hęc non ab alijs expoſita audierunt, ſed viderunt ipſi, neque viderunt ſolum, ſed etiam interfuerunt: quiq. ſanctiſſimi Pontificis memoriam ita colunt, ita eius facta, & nomen celebrari, & in omnem poſteritatem propagari

cupiunt, vt res pulcherrimas ſingulari quadam copia, & facultate tractari poſtulent, atque expectent, nec facile patiantur, ſi quicquam de ſummis laudibus, dicentis infantia detractum aut imminutum eſſe videatur. Quæ cum ita ſint, cumq. non ignorem, quantum mihi oneris impoſitum ſit ab eo, cui non obtemperare nefas ducebam, veſtrum erit, Patres ampliſſimi, animum mœrore debilitatum, & confectum ſubleuare, & hanc meam perturbationem æquitate, & benignitate veſtra minuere, quo facilius Patrono optimo, & de me optime merito, extremum hoc, qualecunq. eſt, non eloquentiæ ſed doloris; neque tam laudationis, quam debitæ pietatis officium perſoluam. Sed mihi hoc loco omnes ignoſcant vehementer velim, ſi in tam magno, immenſoq. campo, qui mihi ad laudandum propoſitus eſt, multa fortaſſe à me prætermiſſa eſſe animaduertent; in quibus oratorijs quibuſdam excurſionibus, libere vagari, atque exultare mea potuiſſet oratio. Nam neque hiſtoriam pertexo, & temporis anguſtiæ ratio habenda eſt, & ad ea potiſſimum feſtinat animus, quæ Pij Pontificis propria ſunt, & in ipſo Pontificatu geſta, hoc eſt tamquam in ampliſſimo orbis terrarum Theatro, omniumq. gentium luce. Nam quid ego nunc Medicorum familiam celebrem? quæ viris clariſſimis ſemper floruit, quæq. ſuperiore memoria duos, atque hunc tertium, non adeo magno temporis interuallo Eccleſiæ Dei Pontificem dedit. Quid ipſius Pij ortum, & cunabula commemorem? cui paruulo ſignis, & prodigijs, tanta dignitas iam tum diuinitus portendi videbatur. Iam vero de tota eius vita, ſanctiſſime & integerrime acta, ſtudijs, honoribus, Magiſtratibus geſtis, longum eſſet dicere. Quandoquidem nullum fere tempus quietum, & otioſum traduxit, ſed multis magniſq. animum & corpus laboribus exercuit; Eccleſiaſticæ ditionis illuſtrioribus Præfecturis, & Prouincijs ferè omnibus præfuit, pluresq. Romanorum Pontificum nomine honeſtiſſimas legationes, intra atque extra Italiam magna cum laude obijt. Ita vt ſingulos honores gradatim aſſecutus, ab humilioribus ad ſuperiora aſcendens, ad ſummum vſque Pontificatus verticem, virtute duce, Deiq. prouidentia peruenerit; quo loco re ipſa comprobatum eſt, vere ſapienterq. à magnis Philoſophis dictum eſſe, hominis virtutem magiſtratibus gerendis, tamquam trutina quadam examinati. Nam etſi Pij Pontificis, virtus multis iam antea, magniſq. rebus, ſatis ſpectata, & probata videbatur, ta-

tur, tamen vt boni gubernatoris præſtantia, ex eo magis perſpicitur, ſi magnæ nauis, quam ſi paruæ alicuius nauiculæ gubernacula teneat, multoq. præclarius eſt, maximas Oceani tempeſtates ſuperaſſe, quam ſedato amne nauigare, ita plane quantum ingenio, ſapientia, rerumq. humanarum vſu, & intelligentia Pius Pontifex præſtaret, qua conſtantia eſſet, qua excelſi inuictiq. animi magnitudine, nulla res magis quam Pontificatus ipſe declarauit. Neque vero maximam omnium dignitatem, quaſi quendam præteritorum laborum portum, ſed nouum virtutis curriculum eſt arbitratus. Neque ſe otio, & quieti tradidit, ſed ſtatim tamquam fortiſſimus Chriſti Athleta, in medium maximarum rerum certamen venit. Cumq. ex illa altiſſima ſpecula, paſtorali vigilantia, omnia Chriſtianæ Reip. vulnera circumſpiceret, magnoq. animi dolore cerneret, hæreſum peſtem longe lateq. perua ſiſſe, nihil potius, aut antiquius habuit, quam vt communibus malis mederetur. Itaque generale Concilium, quo nullum ſalutarius remedium videbatur, Tridentum conuocauit. Neque ſane ſibi expectandum putauit, vt à Principibus ſui muneris atque officij admoneretur. Sed ipſe omnium primus, vt par erat, ceteris ſalutis ſignum ſuſtulit, & Chriſtianiſſimi Imperatoris, Regum, & Principum pietatem excitauit. Quid ego nunc Apoſtolicos Nuncios cum humaniſſimis mandatis, in diſiunctiſſimas Regiones miſſos commemorem? vt cor filiorum ad Patres conuerteret, omneſq. ad pacem, & reconciliationem paterna pietate inuitaret. Quid eius curas, labores, ſolicitudines dicam? vt opus præſtantiſſimum magna omnium ſpe, & expectatione inchoatum perficeret. Vos ipſos Patres Ampliſſimi teſtes appello. Vos ſcitis qua grauitate, & conſtantia, in propoſito, ſuſceptoq. conſilio ſemper permanſerit. Quas difficultates ſuperarit. Legatos vero, Deus immortalis, quos & quales delegit, qui tanto muneri præeſſent, viros religione, prudentia, auctoritate, vitæ integritate ſingulari. Mihi quemquam nominatim proferre non eſt neceſſe; hæc enim in omnium gentium, ac nationum, ore, atque oculis geſta ſunt. Quamobrem ſumma Dei optimi, à quo bona manant omnia benignitate erga humanum genus, & clementia, inaudita Pij Quarti Pontificis Maximi ſapientia, eximia Legatorum Cardinalium virtute, & vigilantia, incredibili Principum & Patrum conſenſu, Sacroſanctum Concilium Tridentinum tot annos ante à Paulo Tertio,

& Iulio Tertio ſummis Pontificibus indictum, atque inchoatum feliciſſime confectū, abſolutumq. vidimus. Impedior huius temporis breuitate, ne tantam rem, quam omnis poſteritas admirabitur, omnium populorum litteræ, & linguæ celebrabunt, dignis laudibus ornare, atque amplificare poſſim. Nec vero religioſiſſimi Pontificis pietas, hoc contenta fuit. Nam & Concilium ipſum ampliſſimo decreto confirmauit, & ſingulare hoc Dei beneficium in vniuerſum terrarum orbem quamprimum diſſeminari, atque ab omnibus Regnis, & Prouincijs, qua decebat pietate, & reuerentia recipi diligentiſſime curauit. Denique Cardinales aliquot huic potiſſimum negocio præfecit, qui Concilij Tridentini decreta inuiolate ſeruari, atque ad eius normam omnia dirigi ſtudioſiſſime prouiderent, nimirum optimus, & ſapientiſſimus Pontifex, in hoc curas omnes cogitationes defixerat, vt Chriſtianam Religionem propagaret, infelices populos iacentes in tenebris, & vmbra mortis ad Catholicæ veritatis lucem reuocaret, & eccleſiaſticam diſciplinam, veteremq. illam morum ſanctitatem, Dęmonis inſidijs conuulſam, & labefactatam, in antiquum ſtatum reſtitueret. An non hoc vnum ſpectauit, ab illo primum die, quo in Petri Sede diuinitus eſt collocatus, cum Epiſcopos Eccleſias ſuas reuerti, gregeſq. ſuos paſcere iubebat. cum Clericorum qui Romæ erant, vitæ & honeſtati publicis edictis proſpiciebat, cum Vrbis iudicia, Tribunalia, Magiſtratus recognoſcebat, & ſi qua ſuperiorum temporum licentia corrupta, & deprauata eſſe animaduerterat, ſeueris legibus corrigebat. Et horum quidem multa ante Concilium. Quaſi illi exemplo præiret, quid ad totius Chriſtianæ Reip. ſalutem morumq. emendationem ſtatuendum foret. Sed hęc fortaſſe minora. Quid illa quæ vniuerſam Eccleſiam reſpiciunt, ſolicitudo inquam quotidiana omnium Eccleſiarum? quæ illum curæ dies noctesq. anxium & ſollicitum habebant, vt agrum Domini noxijs, & peſtiferis herbis purgaret. Cumq. Meſſis multa, multis quoque operarijs indigeret, viros in omni virtutum genere egregios, doctrina, nobilitate, vitæ ſanctitate, meritorum magnitudine in ſanctam Apoſtolicam Sedem illuſtres, vt erat ipſe acerrimus hominum æſtimator, in hoc ampliſsimum Cardinalium Collegium cooptauit, quos ſcilicet, dum ipſe in Puppi ſedens, clauum tenebat, in vniuerſalis Eccleſiæ gubernatione, tantis præſertim fluctibus, & tempeſtatibus, ſocios & adiutores haberet.

Iam

Iam vero quotuſquiſq. eſt qui ignoret, quantam Pius Quartus curam, & diligentiam adhibuerit, vt luctuoſum illud incendium, in nobiliſſimis Prouincijs hæreticorum facibus excitatum reſtingueret, & exitioſam peſtem, quotidie latius ſerpentem comprimeret. Teſtis Gallia, teſtis Germania, teſtis Polonia. Memoria adhuc retinetis, Patres Ampliſſimi, quam ille conſtantiam in rebus grauiſſimis, & difficillimis ſeruaret. Quam excelſo, erectoq. animo eſſet, quam nullis rebus aduerſis frangeretur. Ardebat incredibili quodam ſtudio, tuendæ & propagandæ Religionis. Quamobrem, vbi Chriſti & Religionis cauſa ageretur, non labores modo, ſed maximos ſumptus ſumma animi alacritate impendebat. Teſtis eſt iterum, & ſæpius Gallia, cum ſimili bello, & inteſtinis de Religione diſcordijs vexaretur. Teſtis eſt Maximilianus Cæſar inuictiſſimus, cum illi aduerſus Turcarum legiones, quæ eius Imperio imminebant, dimicandum foret. Teſtes ſunt Rhodij Equites fortiſſimi, quorum Inſulam Melitam, cum maxima Solimani Claſſis obſideret, oppugnaretq. vehementiſſime, illos Pius Pontifex auxilijs ſuis, copijs, pecunia liberaliſſime adiuuit. Multa prætereo Patres Ampliſſimi, multa breuiter attingo, & quaſi oratione percurro. Sed quid illę diuinæ virtutes, num prætereundę ſunt? Iuſtitia in ſuo cuiq. tribuēdo ſingularis, beneficentia erga pauperes, facilitas in priuatorum querimonijs audiendis, labor in negotijs obeundis, & aſſiduitas pene incredibilis, cum nullum fere diem prætermitteret, quin aut Senatum haberet, aut ſupplices libellos audiret, aut Principum Oratores ad ſe admitteret, aut delectos ad certa negotia Cardinales congregaret, aut denique varijs expediendis, conficiendiſq. rebus operam daret. Iam quantum dicendi grauitate, & copia valeret, quantam haberet memoriam, & veterum, & noſtrarū rerum, vos ipſi Patres Ampliſſimi, & nos, qui in eius familiaritate verſabamur, ſæpe cognouimus. Iam quid de eius magnificentia dicam, cum in illuſtribus hoſpitibus recipiendis, tum etiam in ædificando? qua in re, numquam priuatum commodum ſpectauit, ſed omnia ad publicam vtilitatem referebat. Atque vt nunc Anagniam, Centumcellas, Aſculum, Anconam, Bononiam, Rauennam, aliaſq. Pontificiæ ditionis ciuitates, & oppida ſileam, Vrbem ipſam Templis nobiliſſimis, Vijs, Portis, Theatris, Aquæductibus, Mœnibus, Propugnaculis, adeo ornauit, & muniuit, vt pene alteram Romam condidiſſe videatur. His igitur Patres Am-

pliſſimi,

pliſſimi Pius Quartus Pontifex Maximus rebus præclare, magnificè, fortiterq. geſtis, his virtutibus, his animi bonis, hac amplitudine, & gloria, ſi vlla in terris felicitas eſſe poteſt, felix & beatus plane fuit. Adde quod Sororum filios tales habuit, quales vt breuiſſime dicam, ne meliores quidem optare potuiſſet. Quibus tamquam quibuſdam ſenectutis ſuæ adminiculis, ad tantam molem ſuſtinendam, & maximarum rerum adminiſtris obſequentiſſimis, & integerrimis ſemper eſt vſus. Quod quidem in quanta felicitate ponendum ſit, aliorum exempla facile declarant. Illius etiam iucundiſſimo aſpectu, quem vnice diligebat in ipſa morte non caruit. Illum poſt operis pulcherrimi, & præclariſſimi confectionem Mediolano redeuntem complexus, & oſculatus eſt. Nulla denique pietatis, & caritatis officia, quæ ſupremo illo vitæ tempore perſolui ſolent, illi à ſuis defuerunt. Atque vt vitæ religioſiſsime actæ, mors quoque conſentanea foret, ſanctiſsimis Sacramentis, ex Chriſtianæ Religionis inſtitutis, aduerſus omnes diaboli oppugnationes munitus, nulliſq. adhuc neque mentis, neque corporis ſenſibus reſtinctis, ſed ad extremum vſque ſpiritum integris, tamquam placido ſomno obdormiſceret, ex huius vitæ miſerijs, ad cæleſtem illam, ſempiternamq. beatitudinem euolauit. Hæc ſi ſpectemus Patres Ampliſsimi, profecto Pij Quarti mortem, non lacrimis, ſed gratulationibus proſequendam iudicabimus. Nam quis eſt homo, qui non videbit mortem? & ille quidem ſatis diu, vel gloriæ, vel etiam naturæ vixerat. Sed heu me miſerum, nobis ille, nobis inquam & Eccleſiæ Dei parum vixerat. Nobis hoc vulnus inflictum eſt, nos hoc fulmen percuſsit. Chriſtianæ Reip. & huic Vrbi, illius mors acerba, & immatura fuit. Huic inquam Vrbi, quæ illo Pontifice pace, iuſtitia, omnium rerum vbertate, & copia, optimiſq. artibus & ingenijs floruit, nunc vero in luctu, & ſqualore iacet. Verè Domine conſilia tua abyſsus multa, id vnum tamen ſcimus, omnia quæcumque feciſti nobis Domine, in recto iudicio feciſti. En populus tuus, tamquam oues ſine paſtore. Et Leones rugientes circuunt; hinc hæreticorum inſidiæ, illhinc Turcarum immanitas. Ne iraſcatur Domine furor tuus, ſuper oues paſcuæ tuæ. Sed oſtende hiſce ſanctiſsimis Patribus in nomine tuo congregatis, quem elegeris. Da nobis Domine Paſtorem iuxta cor tuum, qui paſcat nos ſcientia, & doctrina, vt acerbiſſimum dolorem, quem ex optimi, & ſapientiſ-

pientiſsimi Pontificis morte accepimus, tua miſericordia, & clementia, nobis aliquando mitigare, & lenire liceat. DIXI.

ORATIO NONA.

De nauali Ioannis Auſtrij victoria contra Turcas.

Ad Pium V. Pont. Max. & Reuerendiſsimos DD. S.R.E. Cardinales.

ITERVM vetera illa potentiæ ſuæ miracula inſtaurat Deus, iterum currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare, Exod. 15. iterum Beatiſſime Pater, cum magno illo Iudæorum Duce cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt. Psal. 43. Neque vero ſolum auditu accepimus, ſed vidimus, neque patres noſtri annunciauerunt nobis, ſed nos poſterorum noſtrorum memoriæ ſempiternæ commendabimus, opus inauditum, ſingulare, admirabile, quod operatus eſt Deus in diebus noſtris. Deus enim, Pater Beatiſſime, Deus inquam tantæ, tamq. inuſitatæ victoriæ auctor, atque effector fuit, eiuſq. immenſa erga nos miſericordia effectum eſt, vt quod maiores noſtri fruſtra toties exoptarunt, & multorum ſæculorũ memoria inauditum fuit fore, vt Turcæ hoſtes noſtri immaniſſimi, tandem aliquando vincerentur, eorũq. claſſis maxima atque inſtructiſſima Dei omnipotẽtis virtute, ac noſtrorum militum robore delerentur. Atque illud quid fatendum eſt, quod res ipſa loquitur, acerrime à militibus noſtris pugnatum eſſe, florem Italiæ, atque Hiſpaniæ in illis copijs fuiſſe, ſummum Imperatorem, clariſſimos Duces, claſſem pulcherrimam, rebuſq. omnibus egregie ornatam, omnia denique conſilio, ratione, ſcientia rei militaris optime prouiſa, atque adminiſtrata in illo prælio fuiſſe. Magna hæc fateor ſunt atque præclara, idem tamen hoc affirmo, niſi Dominus Deus exercituum pugnaſſet pro nobis, niſi ille in ſpiritu vehementi naues Tharſis contriuiſſet, niſi dextera eius, & brachium eius inimicos noſtros percuſſiſſet, poſtremo niſi ſanctorum orationes, & lacrimæ, cum illorum qui cum

Chriſto

Chriſtò feliciter regnant, tum eorum qui adhuc in huius vitæ ſtadio decertant, nos adiuuiſſent, nobiſq. eſſent ſuffragatæ, nullam militum fortitudinem, nullam tormentorum vim, nulla humana conſilia, tantam victoriam, quantam vix hoc tempore, atque hoc rerum ſtatu optabamus conſequi, & efficere potuiſſe. Ac mihi quidem Turcarum imperij initia, progreſsiones, & tamquam incrementa conſideranti, reſq. eorum geſtas, & bellorum exitus intuenti, eo admirabilius videtur hanc illis plagam inflictam, cladem̄q. illatam eſſe, quod totis trecentis annis, totidem enim fere ab Ottomanno fortiſsimo, & bellicoſiſsimo eorum Rege numerantur, qui primus tam diuturnæ tyrannidis fundamenta iecit, nunquam, aut perraro victi, ſed ſemper victores, longe lateq. Regni ſui fines propagarunt, cumq. id populorum ſcelera, & iniquitas commeruiſſet, & Chriſtiani Principes nedũ eos impedirent, ſed etiam diſcordijs ſuis inuitarent, maxima imperia euerterunt, regna nobiliſsima, ampliſsimas prouincias in ditionem, & poteſtatem ſuam continuatis victorijs redegerunt. Sed quid ego vetera, & longinqua commemoro? quid anno ſuperiore actum ſit, quantam amiſſa Nicoſia Chriſtiana Reſp. calamitatẽ acceperit, nec propter clariſsimæ Vrbis amplitudinem diſsimulare; nec propter incommodi magnitudinem ſine dolore, & lacrimis referre licet. Iam quis ignorat quemadmodum hac ipſa ęſtate toto mari validiſſima Turcarum claſsis alacris, ac læta volitarit, quid in Illyrico geſſerit, vt omnia illa maritima loca cædibus, rapinis, incendijs diuexarit. Hunc igitur hoſtem, Beatiſsime Pater, tanto imperio, tantis copijs, tam diuturna vincendi felicitate, tantis & veteribus, & recentibus victorijs elatum, atque inflatum, talem inquam hoſtem maximo nauali prælio deuictum ac ſuperatum fuiſſe; cui quidem prælio, neſcio an in omni totius antiquitatis memoria, par atque æquale reperiatur, hoc ego opus non tam humanę alicuius virtutis, quam diuinæ potentiæ eſſe prorſus iudico. Ponite vobis ante oculos, Cardinales Illuſtriſſimi, diem illum maxime memorabilem, quo die Turcarum Triremes è ſinu Corinthiaco egreſſæ, ventis, vt tum videbatur ſecundis, acie optime inſtructa ac diſpoſita, claſſem noſtram ad pugnam audaciſſime prouocarunt, an vos illos putatis, quidquam de victoria dubitaſſe? illi vero ne fremitum quidem ac fulgorem armorum ſuorum ferri à noſtris poſſe, ſed ſtatim ſeſe in turpiſſimam fugam daturos exiſtimarunt. Iam quibus cohortatio-

nibus

verte duo folia sequẽtia

nibus credendum eſt archipiratam illum ſuperbiſſimum ſuos ad prælium excitaſſe? quam acribus? quam in nos contumelioſis? hos eſſe Chriſtianos illos, quorum maiores à maioribus ſuis ſemper victi, ſemper profligati fuiſſent, quibus fortiſſimi illi Turcarum Reges Ottomanni, Orchanes, Mahomethi, Selimi, innumerabiles prouincias, & florentiſſimum Orientis Imperium ademiſſent, an eorum fœderibus commouerentur, qui ſemper inter ſe diſſentientes, iam pridem non tam externo impetu, quam domeſticis diſcordijs ac diſſidijs concidiſſent? an vero puerum delicatum timerent? ante Imperatorem quam militem, quaſi ludus aliquis, aut vmbratilis pugna appararetur, ac non cum veterano, & inuicto milite de vita, & fortunis omnibus dimicandum foret. Quid de Venetis diceret, quos ipſi mancipiorum loco ſemper habuiſſent? quibus ſimul ac collibitum fuiſſet, arbitratu ſuo leges fixiſſent, ac refixiſſent, quos denique paulo ante tam facile, pulcherrimo, atque opulentiſſimo Regno ſpoliaſſent: Irent igitur alacres, & exultantes, non ad incertum aliquod aut dubium certamen, ſed ad victoriam, ad prædam, ad certiſſimum triumphum, atque eadem littora, & oras in quibus recentia adhuc Chriſtianorum timiditatis, & ignauiæ veſtigia apparerent, noua illorum calamitate, & duplicata Turcarum victoria illuſtrarent. Hęc cum peroraſſet, Pater Beatiſſime, Philiſtæus ille, & ore impuriſſimo maledixiſſet exercitui Dei viuentis, illicò ex anguſtijs freti corynthiaci agmen educunt, cumq. inſita genti ſuperbia, perpetuo rerum ſecundarum curſu, noſtrorum hominum deſpicientia, odio, & auaritia inflammati raperentur, venti etiam opportunitate vſi plenis velis, in ſiniſtrum claſſis noſtræ cornu magno impetu inuadunt. Ecce autem ex altera parte, res non ſolum aſpectu, ſed etiam auditu admirabilis, diuinus ac plane de cælo delapſus adoleſcens, & pijs bellis conficiendis a Deo delectus, ætate quidem adoleſcens, & pene puer, ſed virtute, & animi magnitudine vir, prudentia ſenex, auctoritate vero florentiſsimi exercitus Imperator, Non illo triremium multitudine, quibus totum mare conſtratum erat, non hoſtium audacia perterritus, neque rurſus humanis viribus, ſed cæleſti auxilio fretus, tamquam alter Dauid dicebat intra ſe, Ibo, & pugnabo aduerſus Philiſtæum iſtum, & delebo ignominiam populi Chriſtiani. Sic enim, Pater Beatiſſime, mecum ipſe cogitans exiſtimo, cum fortiſſimus adoleſcens, hoſtem ſuperbum vltro irru- 1. Reg. 17.

tem aſpexiſſet, non alijs verbis vſum fuiſſe, quam quibus olim Dauid inſultanti Philiſtæo reſpondit. Tu quidem ad me venis cum gladio, & haſta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſrael, quibus exprobraſti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera militum tuorum hodie eſcam piſcibus maris, & beſtijs terræ, vt ſciant omnes gentes, quia eſt Deus in Iſrael. Neque vero ſpes eum fefellit ſua, quam non in galea, & lorica Saul collocauerat, ſed in baculo, & lapide Dauid, hoc eſt in Chriſto Domino, & eius inuictæ Crucis præſidio. Permittite mihi Cardinales Ampliſſimi, pro veſtra humanitate, vt in earum rerum iucundiſſima recordatione, quæ illo celeberrimo die à clariſſimo Principe geſtæ ſunt, pauliſper commorer. O ſpectaculum illud pulcherrimum, neque hominibus ſolum, ſed Angelis quoque gratiſſimum? circuibat celeri nauigio Chriſtianiſsimus Princeps aciem inſtructam, & iam ad congrediendum paratam, & ſignum crucis manu geſtans, alteq. extollens, imperatoria quadam eloquentia ſingulos ad fortiter pugnandum hortabatur. En milites Imperator veſter, hunc aſpicite, qui pro veſtra ſalute cruxi ſuffixus eſt, hoc ſigno victores erimus, hæc fiducia noſtra eſt, hæc virtus, & fortitudo noſtra Chriſtus pro nobis, & pro ſui nominis gloria dimicabit; ego autem non iam veſter Imperator, ſed commilito, vna omnes Chriſtiani milites Chriſtum Ducem præeuntem ſequamur; bono animo eſtote commilitones, non tam veſtros, quam crucis Chriſti inimicos videtis, itaque hodierna die aut illi nos ad ſempiternæ beatitudinis triumphum in Cælum mittent, aut nos illos ad perpetua inferorum ſupplicia detrudemus. Hæc cum clara voce diceret, eaq. vultus lætitia, & oculorum hilaritate futuram felicitatem prænunciaret, & quaſi præſagiret, tantus militum clamor incredibili quadam alacritate eſt conſecutus, vt non prælium poſcere, & victoriam ſperare, ſed iam plane victores eſſe viderentur. Statim igitur vexillum illud ampliſſimum, in quo Saluatoris noſtri in cruce pendentis imago opere egregio depicta, erat erigi, atque explicari iubet. Illud inquam, quod tu Pater ſanctiſſime, ad eum miſeras, cum illa præclara inſcriptione: In hoc Signo Vince. Nimrum vt generoſum adoleſcentem, ac veræ gloriæ maxime appetentem, ſummi Imperatoris, & de Chriſtiana religione optime meriti Conſtantini memoria ve-

hementius

vehementius inflammares, tum vt omnes admoneres fœdus iſtud tam pium, tam neceſſarium, tam Chriſtianæ reip. ſalutare, Chriſto auctore, pro Chriſti cauſa aduerſus Chriſti hoſtes, inter tres maximos Principes iunctum copulatumq. eſſe. Quamobrem ſacri huius belli Chriſtum ipſum Ducem, & quaſi ſigniferum futurum, ſub eo Imperatore militandum, in cuius poteſtate totius rei bene gerendę ſpes, ac victoria omnis, & repoſita eſſet, & ab eodem peti deberet. Atque hoc quidem milites illi lectiſſimi, centuriones, præfecti, non ſolum fortitudine, ſed etiam pietate præſtantes ſe optime intelligere declararunt, cum iam iamq. prælium inituri crucem illam venerantes, & tamquam ad Chriſti pedes abiecti peccatorum ſuorum veniam ſupplices precabantur. Vidiſſes alios intimo quodam doloris ſenſu, & ſcelerum deteſtatione permotos pectus tundere, alios præpotentis Dei exercituum auxilium implorare, alios pro tuenda religione, & pro fratrum ſalutę mortem expetere, alios inter ſe amantiſſime complecti, ad pugnam excitare, dexteris denique fidei teſtibus porrectis, ſe mutua caritate ad extremum vſque vitæ ſpiritum non deſerturos ſanctiſsime polliceri. Cum interea viri religioſi ſacerdotes per triremes diſpoſiti, non illi quidem inermes, ſed gladio ſpiritus armati, quod eſt verbum Dei, & pijs precationibus, & ſacerdotij auctoritate peccatorum vincula diſſoluerent, & ſummum Regum Regem, in cuius manu omnia Regna ſunt, & bella, & victorię, multis cum lacrymis obſecrarent, vt barbaras gentes feritate, ac multitudine ſua confidentes, dexteræ ſuæ potentia contereret, & comminueret, & denique militibus ipſis iam incenſis, & ſua ſponte currentibus, propoſitis æternę gloriæ, & ſplendidiſsimis pro Chriſto martyrij coronis, tamquam ardentes faces, & ſtimulos admouerent. Sed quid ego te, Pater Beatiſsime, atque huius ampliſsimi conſeſſus expectationem tam diu oratione mea ſuſpenſam detineo, ac non potius quamprimum aures, animoſq. veſtros incredibili voluptate compleo, Chriſto Domino ductore, & anteſignano Beatiſsima Virgine, & Sanctis omnibus iuuantibus, tanto animorum ardore, tanta virtute, tanta felicitate a noſtris pugnatum eſt, vt ad viginti millia hoſtium cæſa ſint, primarij duces, & Nauarchi fere omnes necati, magnus captiuorum numerus, triremes circiter ducentæ comprehenſæ, denique ex tanta claſse, quãtam Rex potentiſſimus, & diu victor, & Chriſtiani nominis delendi inſatiabili cupi-

ditate, atque odio inflammatus, maximam, & ornatiſsimam confi-
cere potuit, vix per pauca nauigia cum Occhialitio prædone, non
tam ad victoriæ noſtræ diminutionem, quam ad cladis, & calamita-
tis ſuæ teſtificationem fuga euaſerunt. Et ne fortiſsimorum viro-
rum amiſsione tantæ iucunditati multum admodum amari admi-
ſceretur, ſingulari Dei benignitate, & prouidentia, Imperatores no-
ſtri, & præfecti fere omnes ſeruati ſunt, ex reliquis vero militibus
non adeo multi deſiderati, quos equidem omnium feliciſsimos
fuiſſe cenſeo: quod potiſsimum delecti ſint, qui vniuerſi exercitus,
tamquam legatione ſuſcepta pro diuino, & immortali beneficio
Deo gratias agerent, & de communi victoria ſimul cum An-
gelis triumpharent. Quamquam & hos ipſos nobis clementiſsi-
mus Dominus cumulate, & cum magno fęnore reddidit, cum ad
decem millia Chriſtianorum ex duriſsima, & calamitoſa ſeruitute
redempta fuerint. Quis hoc loco, Pater Beatiſsime, cum hanc
tantam victoriam, tam inauditam, tam plenam, tam breui tempo-
re tanta facilitate, tam modico noſtrorum partam ſanguine conſide-
ret, & quæ mala, quæ diſcrimina, & pericula à ceruicibus noſtris
per eam depulſa, quę viciſsim bona partim iam ad nos delata, partim
vero paulo poſt Deo adiutore ab hoc fonte emanatura ſint, pruden-
ter expendat. Hæc inquam ſi quis ſecum ipſe contempletur, an ille
Pſ. 76. continere ſe poterit quin exclamet: Quis Deus magnus ſicut Deus
noſter? tu es Deus qui facis mirabilia, tu notam feciſti in populis
virtutem tuam, in brachio tuo excelſo populum tuum redemiſti, à
te ſolo factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Etenim vt
ad illud redeam, vnde orationis meę initium duxi, libenter enim in
eius facti explicatione verſor, in quo vno diuinæ potentiæ ſplendor
maxime elucet, præſertim cum à vobis Cardinales Ampliſſimi, be-
nigne adeo attenteq. audiar, ſed vt ad illud redeam, quod initio di-
xi, vere in hac poſt hominum memoriam maxima nauali pugna, anti-
qua illa miracula, & prodigia renouauit Deus. Legimus in ſacris
libris, cum exercitus Iſrael ex Aegypto egrederetur, mandaſſe Do-
minum Moyſi, vt in maris litore caſtra poneret, loco nimirum in-
opportuno, & incommodo, vnde nulla ad euadendum pateret via
quiq. hoſtibus contra ad inuadendum magnam opportunitatem
præberet. Cumq. id à militari diſciplina alienum videretur, perin-
de ac ſi Moyſi conſilij ſui cauſam Deus explicare vellet, Dicturus

eſt,

eſt, inquit, Pharao ſuper filijs Iſraël: Coarctati ſunt in terra, conclusit eos deſertum, & indurabo cor eius, ac perſequetur vos, & glorificabor in Pharaone,& in omni exercitu eius,ſcientq. Aegyptij, quia ego ſum Dominus. An non obſecro eodem plane modo Turcarum corda ſuperbia, atque audacia ſua obdurberunt? vt qui pugnam vitare, & declinare facile potuerint, vltro appetierint. Quid? an illa caſu, & temere accidiſſe dicemus, quod tota æſtate victores maria noſtra ſint peruagati, quod à noſtris nuſquam repreſſi, aut retardati, Cretam Inſulam, Corcyram, Zacynthum, oras maritimas vexarunt, ſpoliarunt, diripuerunt, quod ad extremum, autumno ineunte claſſe incolumi, & tam multa præda onuſta tamquam triumphantes in Græciam remigrarunt? quis non intelligit hac tanta rerum proſperitate Deum noſtrum cor Pharaonis iſtius egregie indurasse? non enim tam facile caſus præliorum, & incertos pugnarum exitus, & communem martem, vt dicitur, nulla præſertim neceſſitate aſtricti neglexiſſent, niſi tot rebus ſecundis elati, nullum iam victorijs ſuis, nullum Imperio modum, ac finem ſtatuiſſent. Itaque cum res tum anno ſuperiore, tum æſtate proxima proſpere, & feliciter geſtas recordarentur, cum ſe domum ſaluos reueniſſe, cum regionibus amicis Achaia, & Peloponneſſo cinctos ſe, & ſeptos viderent, cum ſe claſſem apparatiſſimam copias floretiſſimas habere animaduerterent, cum denique triremes omnes, vt tanto firmiores forent nouo ac recenti milite compleſſent, cum inquam hæc cogitarent, eo audaciæ, atque amentiæ progreſsi ſunt, vt iam præ ſe Chriſtianos, hominum fecem, & quiſquilias non minus contumelioſe, quam ferociter appellarent. Erat quidem, erat inter eos veteranus aliquis præfectus, auctoritate, & vſu rei militaris inſignis, qui omnia accuratius expendens à prælio abhorreret, nec tantum dimicationis diſcrimen, tum temere ſubeundum eſſe affirmaret, ſed non ſine diuino numine factum eſt, vt moderatio ſuperbiæ, ratio iracundiæ cederet, ac prudentiam furor, & temeritas ſuperaret. Non dicam hoc loco quod cum piratam quendam præmiſiſſent, qui claſſem noſtram ſpecularetur, omniaq. accurate indagata ad eos referret, is à Deo obcæcatus triremes omnes non vidit, neque verum, & integrum illarum numerum ſuis renunciauit. Illud certe præterire non poſſum, plane diuinitus accidiſſe, vt hoſtes venti opportunitate pellecti, e ſinu Corinthiaco tãquam ex cancellis quibuſdam in apertum mare

erum-

Exod. 14.

erumperent, ne aut noſtris in Rhio, & Antirhio caſtellis capiendis quæ in ipſo aditu ſita ſunt, laborandum, aut propter loci anguſtias iniquiore conditione pugnandum eſſet. Velis igitur ſecundo vento, animis vero inani victoriæ ſpe inflatis, cum iam in conſpectũ noſtrorum veniſſent, (audite queſo Cardinales Illuſtriſsimi, & magna opera Domini admiramini) repente ventus ille defecit, mox autem, res dictu admirabilis, ventus lenis exoritur, nobis mirifice fauens, inimicis maxime aduerſus. Etenim ipſis ſimile quiddam accidit, atque olim Pharaoni cum populum Iſrael hoſtili animo inſequeretur, tum enim Angelus Domini, qui die noctuq. Iudæis antcibat, ad extre-
Exod. 14 mum agmen aduolauit, ſtetitq. nube tenebroſa obuolutus, inter
Iol. 14. caſtra Aegyptiorum, & caſtra Iſrael, ne ſcilicet ab Aegyptijs conſpici, lædive poſſent. Sic etiam ventus hic de quo loquor, Angelis adminiſtris fumum ingentem, qui è tormentis excitabatur in ipſo prælij ardore in ora atque oculos hoſtium effundebat, quin etiam
Ioſ. 10. Sol ipſe, quem per aliquot dies ante, cum Cælum nubibus obductum fuiſſet, homines non viderant, eo die radijs ſuis hoſtium aciem perſtringens, magni illius Ducis, ad cuius imperium in medio cæli curſu conſtitit, memoriam renouauit, ſeq. nobis & ſi non eodem modo, pari tamen euentu victoriæ noſtræ ſocium atque adiutorem præbuit, quamquam & alius quidam ſol multo clarior, & illuſtrior, Turcarum acies radijs ſuis vehementius verberauit, neque oculorum ſolum, ſed animorum quoque cæcitate percuſsit; Chriſtus inquam Dominus, ſol iuſtitiæ, cuius in cruce pro humani generis ſalute confixi pulcherrima imago, in illo egregio vexillo depicta, atque excelſo imperatoriæ triremis loco ſita, in omnium oculos in-
Num. 21. currebat. Hæc militibus, qui ſalutis auctorem mente animoq. intuentes, eius effigiem pie venerabãtur, ſpes virtus, ac fortitudo erat, eoſq. non ſecus atque ille æneus ſerpẽs, quem Moyſes in ſolitudine deſerta pro ſigno extulit, à venenatis Turcarum ſagittis protegebat. Hoſtibus autem quibus Chriſti crux ſtultitia eſt, & lapis offenſionis, deſperatione vincendi, imbecillitatem, metum, ac formidinem incutiebat. Nam poſt illam primam impreſſionem, cum in alterum claſſis noſtræ cornu magna vi atque impetu irruerunt, adeo eorum ferocia fracta, & compreſſa eſt, vt tamquam ſi in plagas aliquas, & laqueos incidiſſent, non iam arma tractare, non loco conſiſtere, non tormenta emittere poſſe viderentur, ſed abiecti ac ſup-

plices

plices vitam à victoribus precarentur, omniaq. terroris, fugæ, occiſionis plena eſſent. Liceat mihi hoc loco, Cardinales Illuſtriſſimi, tantarum rerum magnitudinem, & Dei noſtri potentiam cogitanti, iterum præ gaudio, & admiratione exclamare: Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui? dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine, dextera tua Domine percuſsit inimicum noſtrum, illum inquam inimicum, ferum, immanem, barbarum, omni crudelitate teterrimum, qui tot annos Chriſtianam remp. afflixit, tot de nobis triumphos egit, tam multis in locis trophæa conſtituit, qui noſtros milites adeo deſpiciebat, vt quoties cum eis pugnandum eſſet, non tam ad prælium quam ad prædam ſe inuitari putaret. Itaque illo ipſo die nobis feliciſſimo auaritiæ, & furoris ſtimulis incitatus nouus ille Pharao, cum ſcelerato exercitu, dicebat, perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Ecce autem repente flauit ſpiritus tuus Domine, & operuit eos mare, irruit ſuper eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui, & ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehemẽtibus. Vere magnus es tu Domine, & terribilis, & faciens mirabilia. Atque ego quidem, Pater Beatiſſime, hactenus res illas admirabiles commemoraui, quæ Dei potentiam ita declararunt, vt etiam omnium oculis conſpicerentur, nãmq. hoſtes, & in notanda claſſe noſtra inſigniter deceptos, & ad dimicandum temere delatos, & miro terrore perculſos, ac perturbatos, noſtros tam alacres, tantaq. victoriæ fiducia erectos, ſolem denique mare, ac ventos nobis adiutores fuiſſe, hæc inquam & omnes viderunt, & magna, ac plane miranda eſſe intellexerunt. Quid illa, quæ &ſi oculorum vim & aſpectum noſtrum effugiunt, fidei tamen lumine contemplamur, quæ & quanta ſunt? Chriſtum inquam Dominum ſtantem à dextris Dei, vtpote qui ad opem ferendam præſto erat, prælium illud, & militum ſuorum virtutem illo die è cælo ſpectaſſe, Sanctiſſimam Virginem Dei noſtri matrem, beatos illos ſanctorum cætus, atque in primis S. R. E. & fæderatorum Principum aduocatos, & Patronos, atque illum beatiſſimum Pontificem Rom. Marcum, cuius memoriam illo ipſo die Catholica Eccleſia ſolemni, & anniuerſario ritu celebrabat, tum maxime præpotentem Deum pro Chriſtianæ reip. periculis precatos fuiſſe, noſtriſq. militibus ſuis orationibus, & obſecrationibus, tantam à Deo victo-

riam impetraſſe. Illud etiam affirmare auſim, fortaſſe non defuiſſe
4.R.g. 6. in exercitu noſtro Eliſeos aliquos, viros religione, & ſanctitate prę-
ſtantes, qui armatos equites, & igneos currus manifeſte viderint, qui
ſpiritu Dei pleni magna voce clamarint, Nolite timere Viri Chri-
ſtiani, plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis, qui Angelos quo-
que aſpexerint, aureas coronas gemmis clariſſimis ornatas in mani-
bus ferentes, quibus paulo poſt fortiſſimi milites, qui pro Chriſti no-
mine glorioſe occubuiſſent, à ſummo Imperatore Deo, in illo æter-
nitatis triumpho virtutis, & martyrij ergo decorandi erant. Quæ
cum ita ſe habeant, Pater Beatiſſime, cumq. nemini dubium ſit, hanc
poſt homines natos celeberrimam victoriam, ita noſtrorum Impera-
torum conſilio, & auctoritate, ita militum noſtrorum virtute ac
robore partam & comparatam eſſe, vt quocunque animum oculoſq.
conuerteris, ſingulare Dei auxilium, numen, prouidentia, & infini-
tus ille diuinæ miſericordiæ theſaurus occurrat, vere vt nobis dicere
Pſ.43. liceat, in te ſolo Domine inimicos noſtros ventilauimus cornu, & in
nomine tuo ſpreuimus inſurgẽtes in nos: hęc inquã cum ita ſint, Pa-
ter Sanctiſsime, iure optimo, ſimul ac nunciũ illum exoptatiſsimum
accepiſti, ſtatim ad hoc orbis terrarum auguſtiſſimum templum, at-
que ad ipſos Eccleſiæ præſides Apoſtolorum Principes, vt ſemper
ſolitus es accurriſti, vt bonorum omnium auctori Deo ijſdem quaſi
internuncijs gratias ageres, quorum potiſsimũ patrocinio, & rogatu
tantum Chriſtianæ reip. beneficium impetraſſes. Atque eandem ob
Gen. 14. cauſam hodierno die Deo altiſsimo tãquam alter Melchiſedech, non
iam panis, & vini, ſed pretioſi Corporis, & Sanguinis Domini ſanctũ
& incruentum Sacrificium pie ſancteq. obtuliſti, vt eo munere quo
nullum maius, nullũ præſtantius, nullum admirabilius in terris habe-
mus, diuinarum gratiarum gratum te ac memorem præberes, teque
& ſacri huius fœderis conciliationem, & clariſſimam victoriam vni
Deo acceptam referre declarares. Hic mihi ad orationes finem pro-
peranti, dulcis quædam cogitatio quaſi manum inijcit, & conſiſtere
paulum cogit. Illa nimirum Pie Pontifex, quã magna fecerit ſibi is
qui potens eſt, quantum enim ipſe Deo optimo præter ceteros Pon-
tifices debeas. Quod ſane ea pro tua ſingulari ſapientia optime in-
telligis, tum vero pro ſumma pietate aſsidue profiteris. Quo minus
mihi verendum eſt, ne aſſentatri videar, ſi ea commemorabo de tuis
laudibus, quæ cum Dei gloria maxime ſunt coniuncta, quæ & nunc

notiſ-

notiſsima ſunt omnibus, & omnium ſæculorũ poſteritas vera cũ laude prædicabit. Quotus enim quiſq. eſt qui ignoret, in hoc ſalutari fœdere conficiẽdo, te plus omnibus laboraſſe? ſentio quid dicas, non ego, ſed gratia Dei mecum. Recte tu quidem, ſed quia Dei gloriam non tuam quærebas, quia zelo zelatus es pro Domino Deo exercituum, eo quod veniſſent gentes in hereditatem eius, & polluiſſent templa ſancta eius, & ſanguinem Christianorum tamquam aquam effudiſſent, & qua vna re maxime commouebaris, iam inimici noſtri nobis illudentes dicerent, Vbi eſt Deus eorum, quia inquam hæ curę, & cogitationes te dies, noctesq. angebant; propterea reſpexit te Deus, & exaudiuit preces tuas, tibiq. hanc felicitatem dedit, vt magni, & vere Catholici Regis Philippi cor illud regium in manu tua eſſet, eumq. & potentiſsimam Venetorum remp. cum Apoſtolica Sede ad reprimendum Turcarum furorem triplici caritatis vinculo colligares. Vt igitur in ſeminibus arborum, quæ ex his gignuntur cauſa eſt, ſic glorioſæ huius victoriæ cauſa tu fuiſti: tu enim hanc animorum conſociationem auctoritate tua, vt ita dicam, ſeminaſti, ſtudio, & diligentia irrigaſti, Deus autem incrementum dedit. Nam quid ego de tua illa admirabili conſtãtia dicam? mitto quanta animi magnitudine ad negotium grauiſſimum tractandum aggreſſus es? quoties ſpem noſtram pene labentem ſingulari ſapientia ſubleuaſti, quoties rem prope diuulſam iterum conglutinaſti? quos difficultatum nodos, conſilio, grauitate, patientia denique explicaſti? nam neque ſibi ipſi Satanas deerat, qui non tam contra Turcas, quam contra ſe fœdus iſtud iniri intelligebat, & re vera tanti tamq. præclari operis confectionem non humanę induſtriæ, ſed diuinæ bonitati tribui oportebat: & vt arbitror, Pater Sancte, Deus virtutem, & conſtantiam tuam exercebat. Itaque quod Nicolais, Caliſtis, Pijs, Leonibus, alijſq. tam multis Rom. Pontificibus non obtigit, id tibi conceſſit Deus, vt non ſolum maximos Principes ad ſacri belli ſocietatem cõiungeres, ſed etiam tum breui temporis ſpatio vberrimos laboris, & pietatis tuæ fructus perciperes. Age vero, quandoquidem arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Dei, quis contra hoſtem teterrimũ te vno vehementius pugnauit? cum dies noctesq. ad Christi Domini pedes abiectus ſupplex & flens eius miſericordiã implorares, atque ab eo ſumma contentione expoſceres vt parceret populo ſuo, vt hereditatem ſuam gentibus efferatis diripiendam ne daret,

1.Cor. 15.

3.Reg. 19.

2.Cor. 10.

ret, nec vineam ſuam ſanctam Eccleſiam ab immaniſſimo apro vaſtari pateretur, ſed propter gloriam nominis ſui liberaret nos, & propitius eſſet peccatis noſtris propter nomen ſuum. Quid dicam ieiunia, quid publicas ſupplicationes, quid apertos Eccleſiæ Catholicæ theſauros, quorum adminiſtratio tuæ potiſsimum fidei credita eſt, quibus tu in magna neceſsitate prudenter ac fideliter diſpenſandis omnes homines inuitabas, vt ſe Deo reconciliarẽt, & vt peccatis abiectis cum eo in gratiã redirent. his armis Pater ſancte, hoſtes noſtri validiſsime oppugnati ſunt, nam cum tuo iuſſu oratio ab Eccleſia ſine intermiſsione fieret, tuq. vt Moyſes, ſublatis in cælum manibus pro Chriſtiani exercitus ſalute, & victoria Deum continẽter obſecrares, vincebat interea Iſrael, fugauitq. Ioſue noſter impiũ Amalec, & populum eius in ore gladij. Cur enim Cardinales Ampliſsimi, Ioannem Auſtrium alterum Ioſue non appellem? cum & ætatis flore, & virtute, & florentiſſimi exercitus imperio, & genere ipſo belli, quod contra nouos Amalechitas geſtum eſt, & felicitate vincendi, & denique pietate, & religione illi ſimillimus ſit, de cuius eximijs laudibus dum pauca dico, peto à vobis vt eadem benignitate, qua ſoletis, me attendatis. Vere hoc dicam, cum omnes virtutes imperatoriæ lectiſsimi illius iuuenis animum tamquã ſtellæ illuminent, & exornent, tum in primis fortitudo, & religio ita eminent, vt difficile ſit æſtimare, cuius nam ſplendor in eo magis luceat. Atque vt primum de religione, quæ virtutum omnium fundamentũ eſt, breuiter dicam, audiſtis quibus auſpicijs claſſem Meſſana ſolderit. Etenim ipſe omnium primus, ſuoq. exemplo ceteri viri Principes, Duces, Centuriones, reliqui milites vniuerſi, ſalutari pænitentiæ ſacramento à peccatorum labe rite expiati, ſacroſancti corporis Chriſti vitali cibo refecti ſunt, itaque ſanguinis Chriſti Domini communione, & pacis vinculo iuncti, vnum corpus, & vnus ſpiritus in Chriſto effecti, & Chriſto armati, ſic ab illa ſacra menſa diſceſſerunt, vt tamquam leones ignem ſpirantes non Turcis ſolum, ſed Dæmonum etiã legionibus, & principibus tenebrarũ horribiles ac formidoloſi eſſent. Cũ autẽ nauigationis iam ineundę leges præſcriberet, vigilatiſsimus Imperator, quis ſcilicet curſus tenẽdus, quę agminis forma, quis cuiq. locus attributus, quæ denique rerum omnium, ac munerum collocatio, & diſtributio eſſe deberet, nihil antiquius habuit ea lege, curarẽt militũ Præfecti quãdiligentiſsime, vt ab omnibus pie, & religioſe viueretur.

Exod. 17.

ueretur. Quod ſane ſtudioſe adeo ſeruatum eſt, vt iam tum ſperari non immerito liceret, & quodammodo prænunciare, fore omnino, vt copiæ eiuſmodi quæ ad corporum robur tantam animorum diſciplinam adiunxiſſent, clariſſimã de hoſtibus victoriam reportarent. Iam vero quæ oratio, aut quæ dicendi copia Ioannis Auſtrij virtuti, & fortitudini par eſſe poterit? conſiderate obſecro in hoc adoleſcente Caroli V. Imperatoris inuictiſſimi expreſſam animi effigiem, & paternas laudes in generoſo filio recognoſcite. Nihil in eo humile, nihil demiſſum, omnia alta, atque excelſa reperietis. An ille hoſtem ſuperbiſſimum tanta rerum proſperitate, tantisq. victorijs tumentem pertimuit? nunquid ei ex noſtris regionibus recedenti põtes aureos, quod eſt in prouerbio, ſtrauit? immo vero tanto interuallo à ſe disiũctum, cum iam ille cum tota claſſe ſecunda nauigatione Naupactum appuliſſet, perſequi non dubitauit, ſibiq. multo glorioſius fore duxit, ſi tetram illã belluam ſuorum locorum munitione ſeptam, tamquam in proprio cubili trucidaret. Adde etiam quod cum id anni tempus inſtaret, vt ſi naues in portum, milites in hiberna deduxiſſet; nemo eum prudens accuſaret, non tamen propterea belli gerendi conſilium magno animo ſuſceptum aut abiecit, aut mutauit. Neque id quidẽ temere, aut iuuenili quodam impetu, ſed magna ratione fecit. Nam cum videret ſe claſſem magnã, rebuſq. omnibus inſtructam habere, copias maximas, & fortiſſimas, duces ſcientiſſimos, iuuentutẽ lectiſſimam, ex omni Hiſpaniæ, & Italiæ nobilitate veræ gloriæ auiditate, & religionis tuendæ ſtudio collectam, cum trium potentiſsimorum Principum vires ſingulari Dei prouidentia, & plane diuinitus coniũctas, & conſociatas aſpiceret, omnes denique ad bellum inflãmatos eſſe intelligeret, tantam rei bene gerendæ opportunitatem ſibi è manibus elabi, atque effluere non eſt paſſus, nec ſibi otioſe expectandũ putauit, dum lõga, & incerta dies, aut ſerus veſper, vt dicitur, aliquid preter ſpem afferret, omniaq. in dubium reuocaret. Nec vero ad aliquos Africæ ſcopulos, aut obſcura oppida conſeneſcendum; caput ipſum peti oportere, claſſem illam ſuperandam, & deprimẽdam eſſe, cuius latrocinijs, & excurſionibus per hoſce annos maria noſtra ſem per infeſta, & pene nobis clauſa fuerint, & quoniam bellorum ratio & euentus non ſolum ſolidis rebus, ſed etiam exiſtimatione, & hominum opinione plurimum nititur, delendam eſſe ſuperioris temporis ignominiam, nec noſtra deſidia diutius nos pati debere, vt Turcæ

R 2 & ſuo,

& ſuo, & aliorum iudicio inuſcti eſſe viderentur. Hæc igitur ſecum ipſe adoleſcens clariſſimus ſapienter reputans, nõ tanti belli magnitudine, non aduerſo anni tempore, non maris, & ventorum vi deterritus eſt, quo minus propoſitum curſum conficeret, & in ſuſcepta optimæ cauſæ defenſione permaneret. Præſertim cum ſciret eum ſe
Pſal. 88 Ducem ſequi, & pro eius gloria dimicare, qui aquilonem, & mare creauit, qui dominatur poteſtati maris, motumq. & fluctus eius
Pſal. 134. mitigat, qui denique omnia quæcumq. voluit ſemper fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. At enim Io. Auſtrius in eo bello deligendo, quod cum maxima difficultate ſummã quoque laudem, & vtilitatem coniunctam haberet magnanimus, in prouidendo ſapiens plane fuit, parem tamen in agendo induſtriam, in conficiendo celeritatem, in periculo fortitudinem non adhibuit. Pro Deum immortalem, tantam ne rem tam breui tempore confici potuiſſe? an non ipſe vetus illud Cæſarianũ, vel potius paternum dictum recte, & merito vſurpabit, Veni, vidi, & Deus vicit? Nã de ſingulari virtute, & fortitudine quid dicam? hic mihi Card. Illuſtriſſimi, non dicendi copia, ſed modus quærendus eſt, illud autẽ eximium factum ſilentio præterire non queo. Cum iam prælium iniretur, Gubernator regiæ triremis, cui Domini ſalus eſſet propria vita carior, nauigiolum expeditiſſimum cum valentiſsimis remigibus ad dubios caſus parauerat, id neſcio quomodo ſubodoratus, ſtatim ex eo loco amoueri iuſſit, mihi vero, inquit, nullo eiuſmodi perfugio opus eſt, cui in hac ipſa triremi aut vincendum, aut mors oppetenda eſt. Quem illius animum fuiſſe putamus, quam amplum, quam excelſum, qui ſtatutũ ſibi ac deliberatum habuerit, aut glorioſe vincere, aut fortiter mori? nec vero aliter ſe geſſit, ac ſenſit. Teſtes ſunt Echinades Inſulæ magna Turcarum clade, & internecione nobilitate, teſtes ſunt oræ illæ, & ſinus Ionij maris, qui cum antea tantam vim longarum nauium, tantam claſſem, tantas Turcarum copias conſpexiſſent, paulo poſt eorũ ipſorum ſanguine redundarunt. Teſtis denique eſt ille ipſe inimicæ Claſſis præfectus, in cuius prętoriam triremem maximam, & ornatiſſimam cum magno impetu incurriſſet, diu acerrime oppugnatã, magna hoſtium ſtrage edita, atque ipſo Duce interfecto, ne ſcilicet ad tantæ victorię cumulum feliciſſimo Imperatori etiam opima ſpolia deeſſent, tandẽ incredibili virtute cepit, atque oppreſſit, ſtatimq. in ea triunfale crucis vexillum erectum eſt, cuius aſpectu inimicorum

vires, animiq. conciderunt. Sentio iam dudum Pater Beatiſſime, me in Io. Auſtrij rebus geſtis commemorandis voluptate quadam abreptum, paulo longius prouectũ eſſe, tametſi non tam hæc explico, quã percurro. Neque enim patitur huius temporis anguſtia omnes a me diuini adoleſcentis virtutes, ne dũ dicendo ornari, ſed neque enumerando percenſeri. Nam quis vnquam pro rei dignitate inauditã eius liberalitatem ſatis laudabit, qui vniuerſa præda militibus diſtributa, ex tanta vi auri, argenti, rerumq. pulcherrimarum nihil præter benignitatis, & beneficentiæ gloriam expetiuit? quis illius facilitatẽ, quis humanitatẽ, quis pietatem erga milites digne admirabitur? qui ſaucios omnes non ſolum diligentiſſime curari mandauerit, ſed etiã complures quos locus admitteret in ſuo cubiculo, atque adeo in ſuo lecto collocarit. Itaque omnes ſic eum diligunt, vt propterea ſe omnium militum, qui vnquã fuerint feliciſſimos iudicent, quod eo Imperatore mereant, ille autem viciſſim ſe fortunatum appellat, quod ijs militibus prẹſit, quorum virtute tantam ſit victoriam conſecutus. Cogitate obſecro hoc loco cum animis veſtris, Cardinales Illuſtriſſimi, illum feliciſsimum diẽ, illud etiam cogitate quanto gaudio, quam incredibili lætitia ſummus Imperator exultarit, quibus laudibus Italorum fortitudinem, Hiſpanorum inuictũ robur, Venetorum conſtãtiam extulerit, qui acerrimam hoſtium impreſſionem fortiſſime repulerint, qui tantam prælij vim, ac molem eam egregie ſuſtinuerint, qui ſe illo die non ſolum pacis, ſed etiam belli artibus præſtantiſs. eſſe declararint. Quid dicam amplexus amantiſsimos, quibus clariſſimos Duces, & nobiliſſimos viros excepit, illumq. in primis conſiliorum omnium, laborum, & periculorum ſocium, & laudis participem M. Antonium Columnium, illum domi, militiæq. eloquentia, & fortitudine de ſacro hoc fœdere, & Chriſtiana rep. optime meritum; tum ceteros Venerios, Columnios, Farneſios, Feltrios, Vrſinos, Sfortios, Corneos, Aurios, Aragonios, Vitellios, alioſq. innumerabiles, quos lumina Italiæ, patriæ ornamentum, florem iuuentutis, decus Romani atque Italici generis nominabat. Iam vero expleri, & ſaturari non poterat Princeps religioſiſsimus, eorum laudibus verbis ampliſsimis referendis, qui pro patria, pro religione, pro Chriſto Domino vitam, & ſanguinem profudiſſent. Illos vere beatos, & felices eſſe, qui ſe ipſos Deo tamquã hoſtias placationis pro communi ſalute obtuliſſent. Illorum mortem non lacrymis, ſed gratulationibus proſequendam eſſe, qui breuem hanc, & calamitoſam vitã,

cum illa ſempiterna, & beatiſſima commutaſſent. Illis à nobis coronas Ciuicas debere, qui teterrimum ſeruituti iugum, noſtris ceruicibus imminentem ſuorum corporum oppoſitu depuliſſent, qui immanem, & barbarum hoſtem ferociter exultantem cohercuiſſent, qui maiorum noſtrorum bellicæ virtutis memoriam, ab obliuione, & ſenio, in veterem dignitatem, ac gloriam vindicaſſent. O Nonæ illæ Octobres in omnibus faſtis, & Annalium libris aureis litteris deſcribendæ, vt intelligant poſteri noſtri, & narrent poſteris ſuis laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit. Illo enim die Cardinales Ampliſſimi, ne quis parum actum eſſe exiſtimet, macula illa, & vetus ignominia, quę in Chriſtiano nomine penitus in ſederat, deleta eſt, Turcas inuictos eſſe. Noſtros homines neſcio qua formidine, Turcarum non ſolùm gladios, ſed aſpectum, non ſolum vim atque impulſum, ſed nomen, & recordationē perhorreſcere, denique pleriq. omnes vulgo de illa natione ita opinabantur: perinde ac ſi non cum hominibus quales nos ſumus, ſed cum nouis gigantibus, aut Briareis aliquibus, vt eſt in poetarum fabulis, bellum eſſet gerendum. Illo igitur ſemper memorabili die, Deo auctore, & iudice definitum eſt, & nos vincere, & Turcaſ vinci poſſe: illo die hoſtis infeſtiſſimus cum ſcelerato prædonum, & latronum grege maris imperio, & poſſeſſione depulſus, ac deturbatus eſt. Illo die ſuperi atque inferi maris omnes oræ, omnes inſulæ, Italia vniuerſa à vexatione, à Cæde, ab incendio, à vaſtitate liberata eſt. Nam ſi Turcæ ex illo nauali prælio ſuperiores diſceſſiſſent, quid extimuiſtis? fingite id cogitatione, quod Deus auertat, ſe inquam Turcæ claſſem noſtram ſuperaſſent, an eſt quiſquam qui arbitretur, ſe hac eadem hora Romæ tuto eſſe potuiſſe? Quamobrē vnumquemq. ita ſecum cogitare oportet, dulcis eſt patria, hanc mihi illius diei clariſſima victoria conſeruauit, dulces, & cari ſunt liberi, iucundi cognati, grata amicorum conſuetudo, hæc omnia illi victoriæ debemus, res familiaris, honos, dignitas, templa, arę, ædes priuatæ, hæc ipſa denique ciuilis vitæ cōmunio, & ſocietas incredibilē voluptatem affert, profecto niſi ſummi Imperatoris Ioannis Auſtrij, & fortiſſimorum militum virtus fuiſſet, his omnibus bonis caruiſſemus. Quo magis Pie Quinte Beatiſſime Patri miſericordiarum, & totius conſolationis, auctori Deo, pro eximio, diuinoq. beneficio ſingulares gratiæ ab omnibus habendæ ſunt, neque id eloquentia, & orationis copia, aut exquiſito aliquo dicendi genere, ſed ſcelerum deteſtatione, ſed corruptæ vitæ emendatione,

ne, ſed perfecta cum Deo gratiæ reconciliatione præſtandum eſt: ſic enim cenſeo, cum multi, & magni ſint huius victoriæ fructus, duos tamen præcipuos eſſe oportere, de quibus in hac extrema orationis parte ita breuiter dicam, vt hæc in noſtris animis penitus inhærere vehementer velim. Hunc igitur in primis maximũ, & præſtantiſſimũ fore arbitror victoriæ fructum, Deoq. maxime gratum, & acceptum, vt quando per eius miſericordiam de manu inimicorum noſtrorum liberati ſumus, illi vni, cui iure debemus, in ſanctitate, & iuſtitia perpetuo ſeruiamus: id à nobis ſalutis noſtræ ratio, id publicæ rei conditio requirit, vt hæc victoria diuturna ſit, id Deus ipſe poſtulat, & iamdiu ſi attendamus, multis modis poſtulat. Nunquid enim anno ſuperiore cum Nicoſiam amiſimus, cũ claſſis noſtra afflicta eſt, cum copiæ noſtræ non hoſtili gladio, ſed vi morbi pene deletæ ſunt, nũquid Deus populi ſui, & hereditatis ſuæ oblitus erat? quid æſtate proxima, cum tot in locis tam multæ calamitates ſunt acceptæ, dormitabat ne eo tempore qui cuſtodit Iſrael? immo vero nos, ex graui, & mortifero peccatorum ſomno magnis vocibus excitabat. Redite præuaricatores ad cor, conuertimini ad me in toto corde veſtro, Inuocate me in die tribulationis, & eruam vos. O immenſam Dei noſtri clementiã, nõ vt inimicos nos perdit, ſed vt filios caſtigat, emendare vult, extinguere non vult. Quin potius percutiendo ſanat, & dũ nos vulnerat plagis noſtris medetur. Itaque nemo exiſtimet vllo armorum genere, vllis viribus, vllis præſidijs hactenus hoſtes Chriſtiani nominis tum punitos, tam firmos ac valentes fuiſſe, quam peccatis noſtris. hæc tollenda, hæc de medio remouenda ſunt, quæ inter nos, & Deum noſtrum diuiſerant, paries iſte è duriſsimis iniquitatis lapidibus extructus, iam vt ſpero valde labefactatus, funditus euertendus eſt. Id ſi vere, & ex animo, & conſtanter fiat, iam ego polliceri, & recipere non dubitabo, breui fore, vt vaſta illa Turcici Imperij moles, quæ tam altas radices egiſſe, ac tanta firmitate niti videtur corruat, atque euertatur. Non enim ad ſolos Iudæos, ſed multo magis ad nos pertinent diſerta illa diuini fœderis verba, quæ Dei interpres Moyſes ad perpetuam memoriam ſcripſit. Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quę verſantur in terra. Dabit Dominus inimicos tuos qui conſurgunt aduerſum te, corruentes in conſpectu tuo, per vnam viã venient cõtra te, & per ſeptem fugient à facie tua. Hic igitur vt mihi quidẽ videtur

Iſa. 46. Ioel. 2.

Deut. 28.

detur, Pater Beatiſſime, primus eſſe debet huius victoriæ fructus atque effectus vitæ illius,qua ſpiritus viuit,perfecta nouitas,& pia, atque humilis animi demiſſio,quæ tam pręclari,& egregij facti nõ nobis, ſed ſoli Deo omnem gloriam attribuat, tum alter huic perſimilis, nam ex eodem caritatis fonte tamquam duo riuuli ambo dimanant, omnium Chriſtianorum Regum, ac Principũ in hoc ſacro bello gerendo, & rep. defendenda concordia, & conſpiratio Deus ipſe Pater Sanctiſſime,Deus inquam huius ſacri belli, quod dico,hac tãta nauali victoria Principibus noſtris quaſi bellicũ cecinit, & victricis crucis ſignum,quod omnes ſequantur extulit. Venit vt ſpero tẽpus beneplaciti tui Deus, vt liberes populum tuum à Turcarum tyrannide, & acerbiſſimæ ſeruitutis iugum, quo tã diu nouus hic Pharao tot regna, & prouincias oppreſſit, dexteræ tuæ potentia conteras, diſſipes, comminuas. Audite igitur Chriſtiani Principes vocem Domini, vos enim Deus per Vicarium ſuum Romanum Pontificem alloquitur, is Dei legatione apud vos fungitur, is hac vna in cogitatione religionis propagandæ,& reip. defendendæ, dies noctesq. defixus, Angelos pacis in longinquas regiones mittit, vt vos ama-
2.Cor. 5. bili caritatis nodo vinciat, & connectat. Poſuitq. in ore eorum ver-
Exod. 3. bum reconciliationis. Hæc dicit Dominus, Vidi afflictionem populi
mei, & clamorem eius audiui, viſitans viſitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Aegypto,& dixi,vt educam vos de afflictio-
1.Reg 15. ne Aegypti. Hæc dicit Dominus exercituum: Recenſui quæcunq. fecit Amalec Iſraeli,nunc ergo vade,& percute Amalec, & demolire vniuerſa eius,& pugnabis contra eos vſque ad internecionem eo-
Exod. 32. rum. Audite Chriſtiani Principes ſanctiſſimum Pontificem cũ Moy-
1. Macha 3. ſe clamantem, Si quis eſt Domini,iungatur mihi. Accingimini Viri potentes, vt pugnetis aduerſus nationes has, quæ conuenerunt contra nos, vt diſperdant nos,& ſancta noſtra. Tuq. in primis Maximiliane Cæſar,tu Chriſtianæ militiæ dux,& Princeps, tu religionis defenſor, tu Romanæ Eccleſiæ Aduocatus, accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, tuum eſt clariſſimam illam Conſtantini Vrbem, alteram ſedem, & domicilium Imperij, quod prædo nefarius tot annos occupat,recuperare. Vos autem ceteri Chriſtianiſsimi Reges, imitamini Philippi Regis Catholici pietatem, virtutem, animi magnitudinẽ, cuius ſingulare Catholicæ veritatis tuendæ ſtudiũ, & eximia erga Apoſtolicam Sedem obſeruãtia à Deo promerita eſt, vt de vniuerſis fidei hoſtibus, Turcis, Mauris, hæreticis, vario & ho-

ſtium,

ſtium,& bellorum genere,glorioſe triumpharet. Imitamini Venetorum conſtantiam,qui multis licet incõmodis acceptis,multiſq. difficultatibus perſæpe affecti,ſemper tamen magno,& erecto animo fuerunt, numquam rei bene gerendæ ſpem abiecerunt,numquã ſeipſos, & communẽ cauſam deſeruerunt. Quod ſi tres modo Principes, qui omnium primi ad Sacrum bellum Chriſto nomina dederunt, tyranno illi immaniſſimo tam grauem plagam imponere atque infligere potuerunt, quid futurũ eſt,ſi ad illorum vires,Luſitana auxilia,Gallorum robur, firmiſſimę Germanorũ legiones,& ingẽs Poloniæ equitatus accedat? ſed quoniã humana conſilia,& omnes noſtri conatus ad tantã rem conficiendã exigui ſunt,& imbecilles,niſi illius numine & gratia roborentur,in cuius manu ſunt corda Regũ,& quocunq.voluerit inclinat illa,propterea te ſumme,& omnipotẽs Deus ſuppliciter oramus, tuam clementiam imploramus, & obteſtamur, vt des Principibus noſtris ſpiritum pacis, & concordiæ,vt communis libertatis defenſionem cõiunctiſſimis animis ſuſcipiant;perfice miſericors Deus opus tuum, & quod ſemel operatus es, vt proprium, & perpetuum nobis ſit,confirma. Satis iam virga furoris tui Aſſur percuſſit nos, & quidem merito,quia peccauimus,iniuſte egimus,& iniquitatem fecimus,ſed da gloriam nomini tuo,& baculum irę tuæ confringe. Proſterne impium illum ſicut cedrum libani exaltatum,illum fidei tuæ deſertorem,fœderum euerſorem, qui cæca,& inſaturabili regnandi cupiditate aliena regna,nulla laceſſitus iniuria inuadit,& rapit, qui nomen ſanctum tuum blaſphemat, qui ſpem noſtram, quam in te ſolo repoſitam habemus,deridet,atque contemnit, exurge Domine iudica cauſam tuam,miſereat te aliquãdo nobiliſſimæ, & olim Chriſtianiſſimæ Gręciæ, parce clariſſimis prouincijs,ẽ quibus tam multa religionis noſtræ lumina prodierunt, redde nobis locum ortus tui, ſepulchrum tuum glorioſum, terram illam in cuius medio opus noſtræ ſalutis peractum eſt. Vt tandem omnes nationes, & populi intelligant, & confiteantur, quod tu ſolus es, & non eſt alius Deus præter te, & tua ſunt regna,& imperium, & victoria, tibiq. ſoli omnis laus, omnis honor, omnis gloria debetur in ſæcula ſæculorum. Amen.

Prou. 21.

Iſa. 10.

FINIS.

INDEX

782845

INDEX RERVM IN VITA Cardinalis Antoniani conſcriptarum.

Siluij Antoniani Pater qui, vnde domo. 2. *Hieruſalem ex voto profectus.* 5. *Quo anno deceſſit, vbi ſepultus.* 18

Auia materna, Mater, matertera. 2

Siluius quo anno, & vbi natus. 3

qua cura educatus. 3

Otho Truceſes Card. Auguſta Siluio alimεta apud Timotheum Fabium Ludi Magiſtrum ſubminiſtrauit. 3

Admiranda de pueri ingenio, & celeritate diſcendi. 4

Condiſcipuli Scipio Alcander Cardinalis Brunduſini frater, & Petrus Paulus Ennius. 4

Puer ex tempore poemata elegantiſſima de quauis re propoſita condebat, & concinebat. 4

Ab Hannibale Caro eam facultatem accepit. 4

A Iulio III. Pont. Max. vndecim natus annos in Aulam Principalem receptus. 5

Ab Hercule Ferraria Duce magnis propoſitis pramijs, & viatico prouiſo Ferrariam cum matre, & ſorore perductus eſt. 5

Ioanni Baptiſta Pigna, Barth. Riccio, Vinc. Madio Philoſopho operam dedit. 6

In legum, & Canonum ſtudium incubuit. 6

Humaniores litteras publice Ferraria profeſſus. 6

Iuris conſultus factus. 6

Eccleſiam S. Catharina Rubiera Iuriſpatronatus Eſtenſium conſecutus. 6

Venetias, Florentiamq. ab Eſtenſibus perductus miraculo omnibus fuit. 6

Commendatur a Ruſcellio, Varchio, Caſteluetrio, Barth. Riccio, & Paulo Manutio. 6

Poſt obitum Herculis Ducis Romam cum ſuis reuerſus. 6

A Pio IV. Pont. Max. honorificentiſſime ſuſtentatur. 6

Carolo Borromao Cardinali ab Epiſtolis Latinis. 7

Quid praterea ei praſtiterit, & quid inde tulerit. 7

In Gymnaſio Romano humaniores litteras profeſſus. 6

Coadiutor Rectoris Gymnaſij Romani factus a Pio IV. 7

Synodi Mediolanenſis Acta Latine Cardinalis Borromai iuſſu conſcripſit. 19

Patres Sancta Congregationis Oratorij aſſidue coluit. 8

Apud eos ſermones habuit. 10. 26

Pio V. Pont. Max. probante ſacro Cardinalium Collegio a ſecretis factus. 8

In eo munere adminiſtrando quatuor & viginti annos exegit. 8

In Germaniam cum Cardinale Morono Legato ex Gregorij XIII. Papa auctoritate profectus. 8. 9

A Sixto V. Pont. Max. Epiſcopatum allatum repudiauit. 9

Penſione Caualliceſi auctus, Cardina-

nalium in Epiſcopos Congregationi Secretarius datus, eoq. ſe munere abdicauit. 9
Gregorij XIV. Pont. Max. ſupplicum libellorum Magiſter, & familiaris Papienſem Eccleſiam vltro oblatam conſtantiſſime recuſauit. 9.10
Clemens Octauus Pont. Maximus Apoſtolici Cubiculi Magiſtrum Siluium delegit. 10
Secretarius Breuium Secretorum Siluius conſtituitur. 10
Sancti Petri Canonicus factus. 11
In Canonicatus adminiſtratione mirificus. 11. 12
Caput Sancti Iacobi Interciſi ornat. 12
Eccleſiam Montis Viridis a Clemente ſuſcipit. 12
Quid in ea præſtiterit. 12.13
Clementi Patrimonium perluſtranti, & Ferrariam eunti comes aſſiduus. 14
Paupertati a Tiberis inundatione rebus omnibus laboranti redditus ſuos, & vniuerſam pecuniã erogauit. 15
Siluius a Clemente Pont. Max. S.R.E. Cardinalis factus ſuos manſuetudinem docuit. 15
Faciles ad eum aditus. 16
Suos familiares quam humaniſſimos eſſe iuſſerat. 16
Card. Antonianum Epiſcopum Narnienſibus Clemens deſtinauerat. nolentem minime coegit. 17
Cibi, & potus parciſſimus. 17
Vno ferculo contentus. 17
Parſimonia. 17
Veſtis Domeſtica, & Cardinalitia. 17
Abſtinentia eius, & quam conſtanter dona, & munera cuiuſcunq generis perpetuo reiecerit. 17.18
Cardinalis Antonianus officioſiſſimus gratiarum actiones non agnoſcebat. 18
Nunquam Regibus, Principibusq. ſalutandi gratia ſcripſit. 18
Ambitionis fugax. 18
Matrem vnice obſeruauit. 18
Patrem reuerſum honeſte tractauit. pag. 18
Mortuum extulit, quo anno, qua ætate, vbi ſepultus. 18
Liberalitas in propinquos, & amicos, eorumq. liberos, & cognatos. 19
Inimicorum dilectio. 19
Detractatores non audiebat. 20
Aliorum vitia excuſabat. 20
Benignitas, charitas, & patientia in familiares ſuos ſanos, & ægros; & in eoſdem paterna correctio. 20.21.22.23.
De munifica in Religioſos, & pauperes propenſione, amore, & eleemoſynis, & in mortuos. 24
Matrem quo anno, quaque ætate amiſerit. 25
Sancto Benedicto præcipue deuotus. pag. 25
Conſtituerat ſecedere in ſanctam Congregationem Oratorij, poſt obitum matris, antequam Cardinalis eſſet factus. 26
De pietate, recitatione diuini Officij, & exercitij ſpiritualis quotidiani. 26.27.28.
De S. Sacrificio Miſſæ. 27
Iniuriarum immemor, vltionis minime cupidus. 28. 29
De continentia, caſtitate, pudicitia eius. 29
Rerum commutationes forti animo tulit. 29
Hieronymi Badeſij materteræ nepotis ſummi ingenij iuuenis mortem moderate tolerauit. 29

Rebus

Rebus ſecundis lætitiæ geſtientis ſigna nunquam dedit. 29
Modeſtiam in ſplendore dignitatis præſeferebat, ſuperbiam vitauit. 29
De impenſis in cultum, & reſtaurationem Eccleſiarum ſancti Antonij Fundorum, & reditibus in pauperes erogatis. 30
De exornatione, Dotatione, & inſtructione Sacelli ſui. 30
Legatum Cardinalis Cuſani acceptum quem in vſum contulerit. 30
A B. Philippo Nerio, & a B. Carolo Borromæo Cardinale S. Praxedis initium vitæ perfectioris duxit. 31
Academiæ Borromęi ſecretarius. 31. 32
Noctes Vaticanæ, Doctiſſimorum virorum diſputationes. 32
Beati Caroli laus. 32
Cardinalis Antonianus ſermones habuit in ſuo Titulo, & apud Pontificem Max. Eloquentia eius. 32
Elocutionis Eccleſiaſticæ obſeruator mirificus. 32
Opuſcula eius varia. 32. 33
Forma. 33
Statura. 33
Facies. 33
Imagines Siluij pueri, & adoleſcentis. 33
Valetudo. 33. 34
Mortem præſentit. 34
Siluij animus diuinus, & præſagus. pag. 34
Anno 1603. *imminere ſibi mortem prædixit.* 34
Ad mortem ſe comparauit. 34
Valetudinis cauſa genus effectus. 34
Marſilius Cagnatus lethalem eſſe morbū cenſuit Rodulfus Silueſtrius eiuſdem ſententiæ fuit. 34
Benignitas in familiares ſuos in ipſa valetudine. 35
A Clemente Pont. Maximo viſitatus. 35
De admiranda eius per ſeptem, & viginti dies morbi tolerantia, quibus in ipſis acerbiſſime vexatus eſt. 35
De ſancto eius exceſſu, quo die, menſe, anno contigerit. 35
Exenteratus a Medicis poſt obitum morbi cognoſcendi cauſa. 35
Funere Pontificio elatus. 35
Depoſitus in Eccleſia S. Mariæ in Vallicella. 35
Eius mors in Conſiſtorio a Clemente Papa deplorata. 36
Veronæ ab Auguſtino Valerio Cardinale collacrimante Cardinali Antoniano defuncto iuſta perſoluta, Romæ a multis. 36
Teſtamentum. 36